3

Apologia breuis IOHANNIS IACOBI GRYNAEI, IN QVA PRIMVM RESPONDET AD CRIMInationes Iacobi Andreæ, nuper editas in Scripto, cuius titulum auctor esse voluit: Confutatio Disputationis de Cœna Domini Heydelbergæ 4. Aprilis, 1584. habita, & in Admonitione sua de Synopsi illius Disputationis:

DEINDE GRAVES CAVSSAE EXPONVNTVR, PROpter quas nec sibi, nec alijs honestis & bonis viris ad Iacobi Andreæ monstrosas calumnias posthac respondendum: sed legitimæ Synodi iudicio rem permittendam, censet: Postremò, præcipua quædam eiusdem Sophismata & calumnias in gratiam piæ iuuentutis, confutat.

PSAL. 120. V. *2. 3. 4.*

Iehouah libera animam meam ab ore falsiloquo: à lingua fraudulenta. Quid dabit tibi, & quid addet tibi lingua tua fraudulenta? Est velut sagittæ robusti acutæ & carbones Iuniperorum.



Typis Matthæi Harnisch.

CIϽ. IϽ. LXXXIIII.

Programma.

MAnifesta sunt argumenta hominis traditi à Deo in mentem omnis iudicij expertem, facere quæ minimè conueniebat; oppletum esse inuidia & malignitate: susurronem, obtrectatorē, contumeliosum, superbum, gloriosum, inuentorem malorum, charitatis expertem, implacabilem, immisericordem deniq; esse.

Hæc autem omnia Iacobum Andream multis iam annis fecisse, & etiamnum agere Scripta & Acta illius, ac inprimis truculentissima illius Scripta, contra Disputationem Heydelbergensem, de Eucharistia, habitam (in qua nec dicto, nec facto læsus fuit) recens edita testantur. In his enim non solùm Conseruos hostiliter cædit, & deformat iniuriis & mendaciis putidissimis: sed etiam viros politicos virtute & auctoritate ac meritis grauissimos; inhumanissimè traducit: mortuos quin etiam refodit, qui per fidem hac vita defuncti ad Christum Iesum migrauerunt, eisq; maledicit: nec Ecclesiarum reformatarum ex præscripto verbi Dei, nec piorum Magistratuum, qui atrocissima contumelia, per latera piè docentium afficiuntur, vlla ratione habita. Ac si Sophismata illius spectes, reuera fons est aqua carens, nebula à turbine agitata, ac prætumidam vanitatem loquendo per carnis cupiditates lasciuas, eos inescat, qui verè effugerant eos, qui in errore versantur.


Itaque Piis omnibus, qui ab eo maledictis proscinduntur, est abstinendum ab indignatione: & Deus

orandus, vt si minus meliorem mentem eidem largiri velit: ipse eum tandem compescat. Neque verò illi maledicti nota impingenda: sed potius cum Michaele Archangelo posthac dicendum : *Increpet te Dominus.*

Vt tamen Iuuentus pia & veritatis studiosa, qualibus etiam argumentis Iacobus Andreas, contra nos pugnet, videat, eorumque vanitatem deprehendat, præcipua quædam attexemus in fine. Facilè enim erit, hominibus emunctæ naris, ex plumbeis vnguibus, leonem plumbeum, cui tamen os luteum est, & aspidis venenum sub labiis, lingua autem perambulans vbiq; in terra, dignoscere.

PIO

PIO LECTORI, GRAtiam & pacem à Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo, precatur Iohan. Iacobus Grynæus.



Ratias ago toto pectore Domino meo Iesu Christo, quòd is mihi dedit, vt veritatem & pacem diligam & inquiram, & vt vtriusq; caussa, diuturnam quorundam hominum offensam θυμομαχίαν, *& iniurias minimè vulgares patienter ferendo superarem: nec certè vnquam pro infensissimis hostibus, Dominum Iesum precari, vt eis meliorem mentem largiri dignaretur, desisterem. Etsi autem, me hominem, à quo nihil humani omninò alienum est, atrocissimo, recens edito, Scripto Iacobi Andreæ (in quo hic vir verecundiæ fines pridem egressus, seipsum potius, quàm me Christi Iesu infirmum organum ignominiæ exposuit, & malè tractauit:) aduersus Orthodoxam Disputationem Heydelbergensem, de Eucharistia, à me pridem, mandatu Illustrissimi Principis ac Domini, D.* IOHANNIS CASIMIRI, *Comitis Palatini, &c. habitam, me affici nonnihil potuisse, animaduerto: quia tamen assiduè meditor illud Petri Apostoli,* (si probris afficimini in nomine Christi, beati estis: quoniam & gloriæ & Dei Spiritus super vos requiescit: qui quod ad illos quidem attinet, blasphematur: quod ad vos autem, glorificatur. 1. Pet. 4. 14.) *cum Dauide pronuncio læto corde:* Sinite illum, vt mihi, aliisque bonis viris, maledicat: quia dixit ei Iehouah. Forsitan respiciet Iehouah ad afflictionem nostram, & reddet nobis Iehouah bonum pro maledictione eius hodiè, 1. Sam. 16. 11. 12. *Scio etiam tam esse honesta multorum piorum, in multis locis de me iu-*

dicia (Iesu Christi animorum religiosorum conciliatoris, ductu & auspicijs, mihi conciliata) vt nullius vnquam Iacobi Andreæ, iniqua præiudicia, mihi quidem sint admodum extimescenda. Longè autem alia ratione meam tuebor innocentiam, & sanctum in tuenda veritate & pace studium, quàm qua ille, odio & æmulatione ardens, & quæcunq; dictabat splẽdida bilis euomens, est vsus. Veritate enim, charitateq; certabo: vanitatem & odium, quibus me oppugnari sentio, fumi euanescentis instar discutienda esse, persuasum habens. Iniquißimo ipsius præiudicio, opponam grauißimorum hominũ, liberale de me iudicium: vt intelligat cordatus lector, tam verè Iacobum Andream, mihi hypocrisin, perfidiam, leuitatemq; obijcere: quàm verè olim in Synodo Tyria, beato Athanasio, *obiecta sunt hæc tria ingentia scelera*, Magiæ exercitia, cædes Arsenij, & Adulterium.

Vt autem ex toto meo corde Deum oro, Iacobo Andreæ, (me & alios honestißimos clarißimosq; homines, Ecclesias quin etiã Christi, quæ alienæ sunt ab vbiquitario dogmate, præter omne meritum nostrum, præterq; omnẽ iustam caussam) maledictis proscindenti, vt clementer ignoscat: detq; ei vt tandẽ desinat eos, qui Iesu Christi sanctũ nomen per fidem inuocant, hostiliter insectari: ita quoq; eundẽ Deum oro, vt emittat lucem & veritatem suam, vt innocentiam meam, & aliorum multorũ, quos ille traducit, ipse vindicet: mihiq; det, ne in hoc Apologetico scripto, quicquam aliud quàm quod ipsi placet, & Ecclesiæ vsui esse poterit, profiteri poßim.

Pios autem & cordatos Lectores, etiam atq; etiam rogo, vt hoc cogitent, etiam mihi & alijs Iesu Christi seruis, per gloriam & ignominiã, per conuicia & laudes, seruiendũ esse Domino, qui iudicium omne sibi seruauit: non autem vlli mortalium concredidit: sic, vt seductores nos esse, à quibusdam falsò traducamur, veraces interim simus. 2. Cor. 6. 8.

Vtinam verò sic instituere defensionem meam possem, vt aduersarij tam infesti, & saluti & honori, ea quoq; seruiat. Nolim enim meum honorem, & innocentiam in hac caussa meam, sic tueri, vt cuiusq; alterius existimationi apud bonos, vel tantillum, decederet. Deo tamen, qui dat gratiã & gloriã, & qui contemtum & opprobrium aufert à pijs: & iusto suo iudicio, ad quod lubens sanè prouoco, neutiq; opus habens alterius anteambulonis violento ductu: rem totam permitto.

Testor autem ex animo, me commiserari vicem, tum huius viri, tum similium, qui Ecclesias & earum fideles Antistites diu multumq; oppugnando, & conseruos, sub cruce ob veritatis studium militantes, cædendo, apud prudentes & pios homines, fidem omnem, sibi ipsis iam pridem derogauerunt: & eo rem adduxerunt suam, vt nemo bonus non malit ab illis reprehendi, quàm laudari: ne videlicet alicubi peccauisse videri poßit: sicut & Antisthenes olim censuit: quum eum improbus quidam laudasset, à quo reprehendi malebat: Ego sane, nisi historica quædam illius criminationi essent aspersa, quæ Lectorem rerum olim peractarum inscium, perturbare: & amicis meis (quos ad ineundam & tuendam amicitiam fidem & constantiam attulisse, sat scio) & inprimis virtutum & stemmatum laude florenti Nobilitati, cuius præclaram erga me voluntatem multis iam annis expertus sum, scrupulum inijcere possent: non maioris totam hanc criminationem fecissem, quàm Luna Canis rabidi aspicientis orbem illius, diuturnum Latratum. Placet enim mihi illud Ioan. Chrysostomi: Si vis vlcisci, sile: & funestam dedisti plagam. *Et præclarum hoc distichon sæpè repeto.*

Pascere liuor iners odio, saturare furore,
Mors tua facta Deũ recta colentis erũt.

Prius

Prius autem quàm, quid tum mihi tum alijs bonis viris, quos homo ille infelix, insectatur, faciendum videatur, edicam, breuiter id quod benè (ante complures tamen annos) factum commemini, simpliciter recitabo: non tam vt rei multis fide dignis hominibus adhuc benè notæ, fidem faciam, quàm vt meo exemplo, piam & ingeniosam Iuuentutem admoneam, ne temerè quæuis loca posthac adeat, & sine delectu quosuis vitæ, studiorum, & iudicij de controuersiis Religionis, duces & consultos consequatur. Cupio enim, & voce & exemplo meo iuuentuti prodesse tantisper, donec me, qui mortalitatis meæ ignarium sentio, in cælestem Academiam traducat D. Iesus Christus.

Ante viginti duos annos, quum iam ferè per quadriennium Verbi Dei ministerio functus essem, non sine consilio piorum meorum parentum, refragante tamen mei amantissimo Magistratu, (qui subuerebatur, ne forte aliorum erga me humanitas, redeundi in illa loca, occasionem mihi adimeret) quòd animaduerterem me non satis instructum doctrinæ Theologicæ præsidijs, omissis, quæ offerebantur, conditionibus Ecclesiasticis, Academiam, vberioris cultus ingenij parandi gratia, mihi repetendam duxi. Quod aũt quidam hortatores essent, Tubingam potius vt accederem, Academiam Vicinam quàm Vitebergam (quam memoria MELANCHTHONIS cuius scriptorum amantissimus semper fui, delectatus, alioquin eram aditurus) Tubingam me contuli, & in ea Academia vixi per annos duos: ac, nisi fallor, ita vixi honestè, vt paucis, bonisq; notus, & non ingratus, lectiones Theologicas & Philosophicas, cum magna attentione audirem.

Fui autem ea in re infelix, quod in πρότασιν controuersiæ Vbiquitariæ incidi iuuenis, & eo nomine subtristis, quòd viderem, hostiliter interdum magnos viros perstringi, quos non dubitabam benè de Ecclesia meritos esse, etiamsi in doctrina

ctrina Eucharistica minus satisfacerent ijs, quos audire & certè venerari, cœperam. Quod tamen recens adhuc esset memoria Pauli Constantini Phrygionis, Beurlini, *& aliorum piorum doctorum, qui vbiquitariam Chimæram nequaquam professi sunt: & ipse spe profectus me solarer, ita vt iniunctum mihi erat, in ea Academia mansi, per illud biennium: & expertus sum nonnullorum bonorum virorum humanitatem, quam adhuc quoq; celebrare soleo.*

Legeram sine iudicio, quædam, D. Lutheri *scripta polemica de Cœna Dominica, & accesserat quorundam hominum, quos suspiciebã, quasi quidam Enthusiasmus, qui me tum obstupefecit. Ausim certè fateri ad Christi gloriam, id mihi tum accidisse, quod prudenter monuit* Plinius: Recta ingenia »
debilitat verecundia: peruersa confirmat audacia. »

Memini autem probè, Iacobum Andream, me exhilarare læto nuntio, de menstruis Disputationibus, mandatu Illustrißimi Principis ac Domini, Domini Christophori, *Ducis VVirtebergici, & Teccij, &c. instituendis: ac postulare, vt ne respondentis partes, cum exordiendæ essent, defugerem. Quid facerem? Eram homini commendatus, & quod spes proficiendi in studio Theologico affulgere videretur, promtus eram ad omnes istos labores. Sed tamen, alius quidam, suam operam, ni fallor, offerens, in prima illa disputatione, respondentis munere functus est.*

Quod autem Iacobo Andreæ ocium non esset ad Disputationes singulis mensibus, vt mihi pollicitus eram, instituendas & continuandas: & ordinarias lectiones minimè frequentes, minimè etiam præmeditatas (si plerasq; spectes) haberet: mihiq; integrum non esset diutius Tubingæ commorari: factum tandem est, vt meis propinquis & amicis suadentibus, de abitu & eius caussa, de publico cogitarem Testimonio. Feci, fateor, hac in parte imprudenter: ambitiosè nihil egi (lu-

gens videlicet tum temporis, cùm abituro illud esset impetrãdum, sanctißimi mei Parentis, & multorum cognatorum funera) nec enimuerò molestiã illi creare poterã, quũ interdum satis δυσπρόσοδ@ esset, ille meorũ Academicorũ honorũ ἐργοδιώκτης, vt qui plerumq; absens, cõueniri, beneficio vbiquitatis suæ non posset: præsens, sese occupatißimũ esse, quereretur. Peccaui tamẽ, quòd aliorum secutus consiliũ, non satis magnã genij ingenijq; mei, rationem habui: & testimoniũ augustum petiui, quod me natu minori Brentio, filio, collatum, (cui me non multò esse inferiorem doctrina, rebar) videbam.

Istud autem verè quoq; testor, & me neutiq; sapè virum illum, (quod, vt dixi, plerumq; abesset) interpellare potuisse: & nunquam illum, id (quod tamen falsò scribit) mihi obiecisse, videlicet, desiderio meo, obstare Theologorũ metũ de mea inconstantia. Non enim ignorare potest, honorificos & amicos fuisse eius sermones, quos mecũ habuit. Ac si metus ille eũ tum temporis torsit: aliud certè habuit in pectore clausum, aliud in lingua promtum. Quæso autem te, pie Lector, vt vel illud tecum perpendas, anne vel probabile sit, quod ait, se suosq; dubitauisse de mea cõstantia in tuenda doctrina Ecclesiæ: quũ nullum eius Epoches, vel indicium ipsi exhiberent, & cum ipsiusmet manu Epistolæ ad diuersos scriptæ, testes liberalis cuiusdam de me iudicij, extent? Fateor, me, tum non ita intellexisse, controuersiæ Eucharisticæ momenta: sed tamen, personarum respectus, me coercebat, sic vt non auderem (etiam solus) nisi ex alieno præscripto pronunciare. Displicebant mihi, & finitio vnionis hypostaticæ, quam vir ille, Melanchthonianæ (cui assueuerant,) opponebat: & confusio Articulorum symboli Apostolici, de Incarnatione verbi, & de Ascensione in cœlum, & de seßione ad dexteram Dei. Sed tamen non audebam, ad Catadupa nimirum anathematis morum tempestate actus, respirare: nonnulla quoque verè dici putabam, quæ postea

stea falsa esse comperi: eoq; nomine Deo, qui est veritas, gloriam dedi.

Tandem factum est, vt per sesquidiem, de Thesibus, non meis, sed illius hominis, & eodem præside, responderem, pro meo modulo, vt quod res est: non dißimulē, iuueniliter: quod multa vera in illis Thesibus esse, non dubitarem: de cæteris non mihi sumerem iudicium: & spes esset, futurum, vt collatis sententÿs, veritatem plenius dignoscerem. Nunquam autem laudes eas agnoui, quas quidam ex illis, qui nunc me insectantur ob ingenuam ἀντίφασιν, seu cōtradictionem, mihi, immeritò (vt fieri solet) tum tribuerunt.

Hoc ergo, Lector Christianus, certò sciat, Theses illas, quas à multis solidè refutatas, suis centonibus nunc infarsit, Iacobi Andreæ proprias esse, non meas: ac me non nisi respondentis munere in ea Disputatione functum: cui gratias fuisset, Theses de regno Christi, à me scriptas, & ab ordine Theologico, vt optimè memini, neutiq; improbatas, gradus caussa ad disputandum proponere. Propemodum autem mihi persuadeo, Iacobum Andream, iuuenili mea simplicitate, tum nonnihil abutētem, me ad eius caussæ patrocinium pertrahere voluisse: à quo me Iesus Christus opt. max. alienum esse voluit: cui soli immortales eo nomine gratias ago: quum sim expertus illā Domini benedictionē, quam Psaltes pios his verbis petere docuit: Erraui sicut ouis perdita, quære seruum tuum: quia præcepta tua non sum oblitus. Psal. 119. 176.

Tandem factum est, vt cum tribus alÿs Theologis, ipse quoq; in Theatrum producerer, & in solenni illa renunciatione publici testimonÿ Theologici & iureiurando astringerer, quo cæteri, Hosiāder, Herbrandus iunior, & Placius: Formula iusiurādi, astringebat nos verbo Dei scripto symbolis, & Confeßioni Augustanæ, quā à Melanthone (qui doctrinā Ecclesiarū Helueticarū reformatarū ꝓbauerat) & scriptā & exposit ā

esse, noram. Quum autem cæteri mei Collegæ, non aliud iusiurandum præstiterint, quàm illud ipsum, quod ipse quoque præstiti: quo & corde, & qua fronte, miser ille homo perinde scribere audet, ac si illud ἀδέες δέ@ de mea infirmitate, fecerit, vt me ad suæ opinionis professionem quodam, modo singillatim iuramento astringerent? Nisi fortè, ipsi cæterorũ quoque meorum collegarum inconstantia suspecta fuit, & eam nũc pòst vicesimum annum, per meum latus iudicat esse, impetendam. Scilicet ignarus tum erat Iacobus Andreas, exigens iusiurandum, eius quod grauissimè dixit Augustinus: Ille, qui hominem prouocat ad maiorem iurationem, & scit eum falsò iuraturum esse, vincit homicidam; quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas, & eius, quem iurare prouocauit, & suam. *Persuadeo autem mihi posterioribus annis, & formulæ Concordiæ nomenclaturam formulæ iusiurandi in illa schola assutam esse: cuius gratia non potest Iacobus Andreas me quasi de iure manu consertum vocare: qui multis ante annis Tubingæ vixi, quàm illa ab eodem plasta esset conformata. Vtinam verò tandem aliquando, hic infelix homo cogitet, nos in Baptismate nostro, sic in Sacramenti verba iurasse, & vni Christo fidem dedisse, vt nec docentium sit auditores nimium credulos, in erroris nassam inducere, & sacramenti temerarij religione in eadem detinere: nec discentium, per imprudentiam committere, temerè sese illaqueari. Vtinam omnes cogitent, id quod Iurisconsulti dicunt:* Iuramenta non esse iniquitatis vincula. *Et illud* Augustini *de Decoll. Ioan. Bapt.* Iurauit Dauid temerè, sed non impleuit maiore pietate. Si, sententia Iurisconsultorum, iurans ex calore iracũdiæ, non obligatur: quid opus erat hac exprobratione datæ olim fidei? *Sed enim sæpe animaduerti, eos interdum fidem in alijs admodum anxiè desiderare, quibus nec ara nec*

fides est. Dicat autem mihi, magnus ille datæ fidei exprobrator, qua conscientia laudare posſit D. Lutherum p. m. *qui Anno Domini 1512. 4. Octobris, VViteberga, Licentiam Doctorum Theologiæ adeptus est, Decano Andrea Carolostadio, Theologo (quem post 14. annos horribiliter proscripsit ipse, & postea eiusdem anni & mensis die 19. designatore eodem Carolostadio, præstito haud dubiè iuramento Papistico, Doctor Theologus creatus est: quem tamen abiecta doctrina pontificia, rectè fecisse negare non potest: periurij minimè insimulat: qui mihi iusiurandum religiosum, (si modò ei non infarciatur dogmatis vbiquitarij tui, conditio) tam odiosè obÿcit? Anne potest ignorare Iac. And. Marbachium patrem, quum ante 14. annos dogmati Illyrici de eſſentiali peccato Originis subscripsiſſet, & Disputatione publica illud tueri sat egiſſet: posteà, Disputationi Iac. Andreæ de eodem argumento, locum dediſſe, Illyricum summouiſſe? scilicet laudandus est Marbachius, qui vbi senex, aberraſſet etiam in hoc capite doctrinæ, subscriptionem suam & aliorum, ac Disputationem suam publicam, re ipsa & rectè quidem, retractauit: ego verò, qui iuuenis in caſſes opinionis tuæ nonnihil incidi, vituperandus sum, quod Christum Iesum ducem sequutus, è tenebris in lucem veritatis, emersi? Sed Domino meo Iesu Christo, Doctori vnico, gratiam habeo, quod is hanc mihi largitur gratiam, vt apud bonos, ne quidem sex mille Iacobi Andreani, fidē meam in dubium, poſsint vocare. Fateor me nonnihil peccaturum, si hac in re copiosus sim. Quum enim lippis & tonsoribus per omnem Germaniam, notum sit, hunc hominem, vsq; adeo temerè, vt nihil supra, per salutem animæ suæ iurare etiam inter pocula consueuiſſe: non est cur homo prudens eius aſſeueratione vana calumniosaq; commoueatur.*

Vt autem ad alia carnis opera accedam, quæ hic vir, postquam me, modestè in cauſſa Eucharistica & Vbiquistica *à se*

dissentire animaduertit, admisit, accedã: superiore anno adeò contumeliosam & δύσφημον salutem, internuncio modesto & erudito Iuuene, (qui certè tanto scandalo nõ erat à verbi Dei ministro afficiendus) mihi dici curauit, qualem non nisi Cacodæmon ipse dictaret et eructaret. Respondi, *Me orare Christum, vt Iac. And. ignoscat: mei autem honoris & salutis imprimis, eam quam hactenus, curam haberet. Eruditum autẽ iuuenem illum, hortatus sum, vt deleret è Codicillo funesta verba verbis conceptis à Iac. And. dictata: & disceret veritatis caussa, multa pati. Animaduerti autem, Deum per contraria media non rarò agentem, bonas naturas, intemperie, Iac. Andreæ, & similium (quorum ἄχαρις & ἄμουσος, id est, tetrica & inerudita doctrina est) & maledicẽtia rabiosa, velut caussa procatarctica, excitare, vt ne magnifaciant tã importunos, tamq́; maledicos homines, & delectẽtur virtute humanitateq́;,* D. Bezæ, *& aliorum, quorum totius vitæ habitus spirat pietatem.*

Non ita multò post, per eum hominem (qui me adijt αὐτογράφου impetrandi gratia, & à me amanter est inuitatus ad τὰ μικρὰ φιλοφρονήματα, & Conuiuium) literas calumniatrices senatui amplißimo sapientißimoq́; inclytæ BASILIENSIS Reipub. offerri voluit, vt mihi, si posset, crearet periculũ. Sed eæ, amicorum illius consilio suppressæ fuerunt, quòd nullum earum pondus esset, & quòd auctori parum gratiæ allaturæ, mihi minimè nocituræ, alijs plurimum obfuturæ, viderentur. Displicuit enim viris cordatis, insolentia hominis, qui vt inimicum conficeret, etiam amicis obesse, non dubitabat. Memini autem, cum eius rei mentionem facerem, honestum & præstantem auctoritate virum respondere: Non maiorẽ esse Iacobi And. apud prudentes Politarchas, auctoritatem quàm alicuius ebriosi & agrestis sacrificuli in Sequanis.

Quæris, amice Lector, quid ipse interea egerim? Quũ me ita peti viderẽ, ad preces confugi, & Christum pro me, & pro aduersario cõprecatus sum, vt me quidẽ tueretur, Iacobũ Andream autẽ liberaret à spiritu odij et vertiginis. Rarißimè seu publicè, seu priuatim eius mentionẽ feci: tum quod ea non admodum esset opus, tum quod ὀλέχινον, quasi intractabilẽ Echinum, non vellem attingere. Rogatus tamen perrarò, de ijs quæ cum laude coniuncta sunt, loqui malui. Virtutẽ enim etiam in hoste admiror, si qua in eo sit. Cum amicis tamẽ magni nominis priuatim me collocutum esse, de eius inhumanitate cohercenda, ipsorũ virtute & auctoritate, & Tubingensiũ quorundam hominũ clarorũ bonorũq́ opera, non eo inficias. Cui enim pacis amanti homini, nõ videatur declinanda necesßitas, cum eiusmodi homine contendendi? Nihil, ait Cicero, quieto ac „ bono viro magis cõuenit, quàm abesse à cõtrouersijs. „

In tota autem Heydelbergensi disputatione, quæ & maturè publicata & octies habita, & nequaquã (vt ipse fingit) præcipitata fuit (non enim ille metuendus nobis erat, si accesßisset,) nunquam nomen illius adduxi in mediũ. De rebus enim agere malui, quàm de personis. Et quia edita est oratio mea, de illa disputatione, in qua bona fide exposui, quid vtraq; pars ibi egerit, hoc tantùm testabor, non me moueri, quòd (vt Iosephi verbis vtar) πλῆθος ἔῤῥεπε πρὸς τοὺς θρασυτέρους, vulgus „ NB. imperitum confidentioribus sese iunxit: & quod Iacobus Andreas Pasquillico præiudicio, (quod ipsi neutiquam certè inuideo, licet cum S. Romani Imperij constitutione pugnet, dignumq́; sit Matæologiæ Vbiquisticæ operculum) me vrget. Immò gratiam illi habeo, quòd stolidum Pasquillum, centonibus suis aspersit, & vanitate illa, me oppugnat, qui vnius cordati iudicis arbitrio plus defero, quàm toti imperitæ multitudini. Tantum Iac. And. me eorum miseret, quibus tu bolum gloriolæ (de me multis modis victo & prostrato) sparsæ,

sic è faucibus ereptum ori tuo inseris, vt vel in iacentem & exanimem Hectorem sauias heroicè, vel hunc nōdum ab illis confectum, forti tua dextera & ficulno tuo ense, sternendum putes. Sic scilicet fortes Triarij agunt, vt quis inter illos fortior sit, meritò spectator prudens vehementer addubitet. Si autem mea omnia sibi oppugnanda, ea verò quæ mihi, satis imperitè, obiecta sunt, tuenda censet: habiturus est Paradoxa noua satis enimuerò insulsa & agrestia: quæ si, ita vt stolidus ille Pasquillus, etiam ad maritimam Saxoniā sparsa fuerint, fidem illi apud sanos homines facilè derogabunt, quando nullum veterascit mendacium, & vana iactantia fumi instar euanescit.

Basileam *vbi reuertissem post Pascha, & ibidem docendi laboribus defungi cæpissem: aliquoties allatum est nuncium, de bruto fulmine, quod Iacobus Andreas in me cuderet. Viri sapientes & clari initiò vix id sibi persuaderi patiebantur: quod Ecclesiæ, Reipub. (optimè profectò olim meritæ, de VVirtebergicis Principibus illustrißimæ memoriæ, rebus eorum, vt & multorum tum temporis bonorum, afflictis, de Brentio patre, exule, & cum* Bullingero *&* Caluino *fraternam amicitiam tum colente) Academiæ, & meæ innocentiæ, maiorem rationem hominem illum habiturum, sibi persuaderent. Vnus D. Doctor* Huldrichus Coccius, *mihi dixit, iam annos aliquot Iacobum illum Andream, mihi infestum, aliquid in me moliri.*

Sed vbi reuocatus essem Heydelbergam, ab Illustrißimo Principe, vt aliquandiu in hac Academia sacras literas profiterer, donec videlicet Basileam *redeundum esset, senatus Academiæ* Basiliensis, *quòd rumorem calumnioso Iacobi Andreæ scripto confirmari videret, pacis & tranquillitatis, honoris quin etiam & ἐυθυμίας meæ, studio, ductus, ad Academiam Tubingensem literas dedit, humanitatis & officij plenas,*

nas, quas ideo aſcribendas duxi, vt pij Lectores videant, & honeſtiſsimum eſſe de me eorum, quibus domeſticè ſum notus, iudicium: & calumnioſas voces iſtius mei Aduerſarij, apud bonos omnes nihil ponderis habere debere.

Magnifico D. Rectori, reuerendis, clariſſimis & doctiſsimis viris illuſtris Academiæ Tubingenſis ſenatoribus, amicis honorandis.

SI Noſtra ſtudia & officia, Magnifici, clariſſimi & doctiſſimi viri, non ſolùm hominibus pietate & eruditione præſtantibus, ſed etiam ijs rerum momentis, quę ad pacis & Chriſtianæ coniunctionis vinculũ conſeruandum facere poſſunt, in ſolidum deberi, nemini dubium eſt. Cùm ergo ante paucos dies, *D. Ioh. Iacobus Grynæus*, Academiæ noſtræ Rector, Magiſtratus noſtri ſcitu permiſſuq́;, Heydelbergam abiturus, nobis aperuiſſet, fama ſibi innotuiſſe parari iſthic contra ſe ſcriptum, à Cl. Theologo, D. Iacobo Andrea, Gymnaſij veſtri Cancellario, &c. quem tamen is, ſua ſibi ſuffragante conſcientia, verbis, factisq́; nuſpiam laceſciuiſſet, nec famæ aut exiſtimationi eius iniurius fuiſſet: petens, vt ſi quid ad extinguenda negocij & certaminis gliſcentis incommoda conferre poſſemus, pro virili curaremus: Non abs re fore duximus, tum vt *Rectoris* noſtri petitioni ſatisfaceremus, tum verò, vt publicæ tranquillitati, quãtum in nobis eſt, ſeruiremus, animi

nostri sensum, amplissimo ordini vestro, amicè declarare.

Enimuerò vt exploratum nobis est, *D. Grynæum* sacrosanctam Theologiæ professionem, pacatè & fructuosè, annis aliquot obiuisse: ita nobis minimè constat, eum, in prælectionibus, vel in congressibus (de illius enim lucubrationibus, cum omnium oculis patere possint, nihil attinet dicere) cuiusquam Triuialium, nedum talis tantiq; Theologi famæ & existimationi, si ἑτεροδοξίαν dogmatum excipiamus, grauem aut molestum extitisse. Is siquidem animus nobis huc vsque fuit, vt neminem nostrûm, siue in vestros, siue in alios, calami linguæque mucronem stringere passi fuerimus: quin potius (absit inuidia dicto) bonis & eruditis omnibus, maxime verò fidei domesticis, beneuolētiam declarare, &, si quid occurrisset, quod ad accendendos hominum animos, & piæ tranquillitatis auram turbandam, vergere videretur, amouere studuerimus.

Verentes itaq;, ne si liber is, *Rectori* nostro, vt dicitur, infensior, in publicum emittatur, paroxismus inde Ecclesiæ periculosus magis, quàm vtilis, oriatur: exulcerato præsertim hocce temporum statu: amanterà vobis petimus, vt si quid tale paratum esse comperiatis, quod ad infringendum φιλαδελφίας vinculum facere possit, vestra virtute & auctoritate sopiatis: & quod erga vestros omnes, & singulos, si quid tale à nobis postularetur, summa cum voluntate facturi essemus, id nobis in præsentiarum non negetis.

Scribendi libertatem viris doctis eripi non postulamus, sed vt D. Andreas scriptum suum, si quod habet, pro sua prudentia ita moderetur, ne in caussa communi mul-

ni multis, vnum sibi nostrum *Rectorem*, quem nominatim impetat, desumsisse videatur: hacq; ratione ea, quę inter Academiam vestram atque nostram concordia fuit, labefactetur.

Quin imo cuperemus, vt si fortè ad D. Andreæ δύσφημα quædam de *Rectore* nostro perlata essent, priuato literarum commercio, cum eo componeret, nihil addubitantes fore, vt motus inde orti pacatè & amicè sedentur. Nos certè vicissim, si qua ratione beneuolentię, studiorum & officiorum nostrorum rationes vobis declarare & comprobare poterimus, ad omnem humanitatem & æquitatem nos fuisse promtissimos, re ipsa experiemini. Valete. *Basileæ* 6. Cal. Iulij 1584.

Prorector & Senatus Academiæ Basiliensis.

HAnc epistolam ideo quoque tibi, pie Lector, legendam exhibere visum est, vt quàm mihi cordi sit tranquillitas Ecclesiæ, quæ furiosis concertationibus & non necessarijs scriptis, admodum turbatur, reipsa deprehendas. Non enim quod sanctißimæ & inuictæ nostræ caussæ ab hoc homine timerem, aut quod mihi male essem conscius: sed quod nihil Heydelbergæ aliud, quàm pro pace Ecclesiæ orare: & piè placideq; sacras literas explanando docere, mihi propositum esset: nolui irritare crabrones, & ἐν „ *φρέατι κυνομαχεῖν, hoc est, intra putei angustias cum cani-* „ *bus pugnare: ideoq; rogaui Magnificum Dominum Prore-* „ *ctorem Basiliensis Academiæ, vt, si è re videretur, per Tubingensis Academiæ Senatum, motus istos componeret. Etsi*





autem res ipsa loquitur, spreto vtriusque Academiæ iudicio, mephitim illam mendaciorum follem Vulcani in me nihilominus exhalasse: Tamen, non me pœnitet eius consilij: nec sane dubito, omnes vbiq́; locorum viros doctos, vel vnius Academiæ Basiliensis liberale iudicium de me, in cuius sinu diu vixi, maioris facturos esse, quàm istius terræ filij, quem largior vsus Eleemosynæ, qua ab ineunte ætate vixit, è famelico vomentem effecit, tragicum & turpißimum præiudicium.

Equidem, & de ordine Theologorum, & de tota Academia Tubingensi, amantißimè & honorificentißimè & sentio & loquor: ac superioribus annis, non ita paucis, interq́; hos heroicis Nobilibus, auctor fui, vt Tubingensem Academiam, cultus ingeniorum gratia adirent. Vt tamen nequaquam me pudet publici Testimonij, quo in ea olim sum ornatus; sic nec illud mihi aliter, quàm studio veri & innocentiæ tuendum duxi: nec arbitror esse, cur magis officiosæ humanitatis erga me tum declaratæ, vllum pœniteat ordinem: quàm me, quòd me passus sum ornari, cui hoc Christi gratia dedit, vt non defuerim meæ personæ: persuasum habens illam Iacobi Andreæ exprobrationem, ordini Theologorum Tubingensium non acceptam esse ferendam: & si hunc hominem qui mihi ita maledicit spectes, non tam personæ publicæ, quam sustinet, (cuius etiam gratia eum in pretio habere cupio) quàm humanæ illius infirmitati (vt mollißimè loquar) esse tribuendam. ἁμαρτάνει γὰρ καὶ σοφοῦ σοφώτερος: peccat enim etiam sapiente sapientior, vt habet vetus dictum.

Exposui bona fide, tum quid iam pridem, quum Tubingæ agerem: tum quid postea inter nos actum sit. Poteram autem alias quasdam illius hominis voces contumeliosas in me sparsas,

ſparſas, & iniurias commemorare: ſed illas ſordes, nec caſto lectori obÿcere, nec equidem ipſe attingere, dignabor. Certè mihi iam perſuadeo, ſapientes viros, heroicam nobilitatem, & alios honeſtos homines, facilè videre, quàm difficilè fuerit Iacobo iſti Andreæ, in me aliquid carpere, quando etiam παιδεύματα, *ante viginti annos peracta, homo curioſus, tam diligenter conquirit, & recentium fabularum, ſordido condimento oblita, ſpectanda proponit. Ea verò, quæ tot iam annos, Chriſti gratia per me, infirmum alioquin Organum, boni publici cauſſa præſtitit, præterit: ad maledicendum videlicet promtior, quàm ad benedicendum: & vel ethnicæ muliercula Theano multùm diſsimilis, quæ cum iuſſa eſſet diris Alcibiadem abſentem deuouere, reſpondit:* εὐχῶν οὐ καταρῶν ἱερείαν γεγονέναι, ſacerdotem ſe eſſe vt benè precaretur, non vt deuoueret diris: *vt eſt apud Plutarchum. Enimuerò, illa quæ mihi non certè niſi per calumniam tribuit, tam facilè illi erit ÿs, quibus domeſticè ſum notus, perſuadere: quàm ſi fingat, pyraticam me in Aegæo mari, virgultea vtentem ſcaphula, centum annos exercuiſſe: & duxiſſe ordines Theſſalorum Equitum in expeditione Alexandri magni contra Darium Perſarum regem. Fortaſsis autem, homo ingenioſus, vt iſta duo mea* τῆς πολυπραγμοσύνης *ſpecimina probet, tam dextrum* μετεμψυχώσεως, *migrationis animarum in alia atque alia corpora, Pythagoricæ, quàm ſuæ Vbiquitatis defenſorē eſt acturus. Id ſanè ſi fiet, tum verò, niſi cælum ruat, vis opinione mea maior, expers tamen conſilÿ, mihi erit metuenda.*

Nunc tibi, Chriſtiane Lector, cauſſæ commemorandæ ſunt, propter quas, Iacobo Andreæ mihi non eſſe pluribus reſpondendum (etiamſi is pergat dentata charta me confodere) iudico. Crede autem futurum, vt ipſe quoque ÿs ritè perpen-

sis, statuas, etiam aliis viris bonis & doctis, qui citra cõtumeliam ab eo dissentiunt, si inquam Eucharistiæ & Vbiquitatis doctrinam spectes, eidem ipsos impetenti, sacro posthac vtendum silentio: & id tempus expectandum, quo in iudiciũ suum Deus hominem istum pertrahet. Atq; equidem, mihi persuadeo, sic tumultuantem in Ecclesia, bacchanalia palàm viuentem, & choreas ac tripudium, in conspectu lugentis, in tot locis Europæ, Ecclesiæ, exercentem: fato extremo esse vicinum. Vtinam verò eius meditatio flectat animum eius ad resipiscentiam, & ad pacis studium.

Prima caussa hæc est, Quòd honestissimæ, inclyti, sapientissimiq; senatus Basiliensis *voluntati me parére, iustum est. Vult autem, vt veritatem,* ἐπιεικῶς *moderatè & citra dentem, docendo, & placidè coràm, cum veritatem amantibus conferendo, eandem propagare studeam. Non vult me Polemicis scriptis, cũ iis hominibus decertare, qui semel à se receptas opiniones mordicus retinent, & cuculi cantu calumniisq; tueri conantur, etiamsi Ecclesiæ doctrina à culmine ruat. Habet optimus Magistratus, hac in parte, & suæ tranquillitatis, & meæ naturæ, rationẽ optimam. Non patitur è suis quenquam, scriptis polemicis aliarũ Ecclesiarum & scholarum reformatarum pastores & doctores adoriri: ac si suos præter meritum impeti sentiat, hos monet, vt veritatem tueantur placidè, iniuriis autem sibi illatis pacem publicam redimant. Nouit etiam is, quo sim ingenio, nec preces meas ad Deum pro pace Ecclesiæ, aut docendi labores, quos sustineo, aliena* βωμολοχίᾳ, *scurrilitate scripturientium, & sophistica, abrumpi vult. Intelligit etiam* ἀθυμίας *& tranquillitatis studio ductum abhorrere à concertationibus cum iis, in quibus aliquid Christi est.*

Secunda caussa est, vocationis meæ conscientia. Vult Deus,

vt Heydelbergæ in scholis Theologicis, pro meo modulo, sacras literas, orthodoxè & methodicè, donec ipsi visum est, profitear. Id autem se velle testatum fecit, cum me nihil tale expectantem, ab Illustrißimo meo Principe, senatu Basiliensi *eius Celsitudini morem gerēte, vocari curauit. Cœpit etiam Deus, pro immensa sua bonitate, ministerio Academico, quo iam defungi cœpi, clementer benedicere, crescente videlicet auditorū lectißimorum tum frequentia, tum discendi cupiditate. Horū pijs studijs seruire: non latratibus eorum, qui in Cœnobiorum " latebris quum visum est, (post lauta cōuiuia, bacchico æstuante " zelo) lingua bellare solent, homo à canina facundia alienus, " reclamare oportet. "*

Est autem nobis, qui docemus in hac Academia sacras literas, propositum, sine aliorum insectatione, verbum veritatis ὀρθοτομεῖν, *seu rectè secare: adiungere pias preces, & gratiarū actiones ad Deum: conuicia & iniurias aduersariorum, Christi caussa, perferre: opus Domini vrgere: & conscientiam Domino Deo nostro, per illius gratiam, probare: mundi insultus ideo non extimescere, quia nostrum* πρωταγωνιστὴν *propugnatorem Iesum Christum ad consolationem nostram dixisse scimus:* Confidite, ego vici mundum. *Ioan. 16.33. Si qui alij quippiam desiderabunt, & vel amicum colloquium, vel responsum per Epistolam requirent, ijs amanter respondebimus: pro vt dabit spiritus Christi.*

Tertia caussa est, quod homo ille mecum conuicijs tantum mendacijsq́; agit, & personam præcipuè insectatur: quod caussæ deploratißimæ signum est. Ego verò conuicia mihi contemnenda esse iudico: ac valde delector illa cōmemorabili beati Hieronymi sententia: Nos in Dei iniurijs, benigni sumus: " in nostris contumelijs, exercemus odia. Placet & illud Augu- " stini: Iniuriæ virum fortem probant. "

Tribuit

Tribuit mihi Iacobus Andreas, in Disputatione publica Heydelbergæ me ad nullum respondisse argumentum: fabellis tempus omne triuisse. Prius verum esse fateor: sed alia quàm ipse putat, lege. Nullum fuit ab eius discipulis adductum argumentum: itaque ad nullum mihi respondendum fuit: nisi forte sophismata (quæ quum ab altera parte plerumq; ex scripto infeliciter & pueriliter recitarentur, sæpe meo Respondenti, in gratiam auditorum, formanda erant) homini argumentoso argumenta sunt: quod nemo nostrum negat. Posterius autem verum esse, ij qui interfuerunt, & quæ dicta sunt vtrinque, assequuti sunt, (cæteros enim, qui pedanei suffragatores & applausores sunt, vbiquitati adstruendæ, etiam me iudice, præsidio esse oportet) tum demum credent, vbi tuo more exhausto, cum salutis tuæ periculo, & diris, vini Cyatho, fidem ipsis feceris, te illis, si mentiantur, quoque habiturum esse fidem. Non eram, pie Lector, istarum rerum mentionem facturus, nisi ἑωλοκρασία, seu à crapula orta intemperies istius hominis, id promeretur: & larua detrahenda esset Cumano caballo: qui nimium suis credulus, immemor est Prouerbij: Pluris est oculatus testis vnus, quàm decem auriti.

Turbatorem Academiæ huius me esse, vociferatur: homo dignus scilicet, qui ab vtroq; Magistratu, prius in Consilium vocatus, &, Anne vocandus sim, interrogaretur: nec sine approbatione consilij sui, & ingenti honorario dimitteretur? Accepimus enim hactenus eum cum Diogene Cynico facere, vsu videlicet probando versum Homericum: οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα. Ast ego tibi Iacobe Andrea regero illud beati Hieronymi: Turpe est in Christi militia, seculi lucra venari.

Ego Iacobe Andrea, (fiducia Domini & Saluatoris mei

Iesu Christi fretus) *cum Achabo rege tibi dicenti:* Nonne tu es ille qui conturbas Israelem? *Respondeo, cum sancto Propheta Elia:* Non conturbaui Israelem, sed tu, & domus patris tui, quum dereliqueritis mandata Iehouæ, & ambulaueris post Bealim. 1. Reg. 18. 17. 18.

Tu verò videris, Iacobe Andrea, quæ sint piorum iudicia, qui gemitus, ob turbatas abs te Ecclesias, Academias, Aulas, pias Oeconomias: & multorum hominum conscientias.

Ac in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui in deiectione nostra memor nostri est, & seruis suis nunquam non dexter vbique gentium adest, eosq́ exaudit & tuetur, pergam ei seruire in sacro hoc instituto: iniurias, calumnias, breuia incommoda magno ferre animo non recusans, quia instat nostra immortalitas, & redemtio nostra, nobis certè exoptatissima.

Mendacijs putidissimis eum mecum agere, vel ista quæ ab eo scelerate conficta subiungam, manifestum est.

Ait Rætela me versantem idem cum ipsis olim sensisse, & literis id esse testatum, id verò quomodo reuera habeat, mihi indicatum est.

Tubinga reuocatus, nondum certè ex illis controuersiis velut tricis, me poteram extricare. Itaq; reuerenter ad Iac. And. & alios aliquoties scripsi, nec sanè modesto homini vitio, sed laudi dandum est, si calculis non præuertat cognitionem.

Quum autem Deus, & scriptis, & voce piorum, excitasset me, & affulgere cœpisset cordi meo radius veritatis circa doctrinam Eucharisticam, cum gratiarum actione erga Deum, placidè professus sum veritatem & voce viua & scriptis, & in colloquijs de Religione, vt ea, quæ mihi aperuerat Deus, non dissimularem.

Ac me piam hanc doctrinam prius quàm Rœtela discederē Basileam, publicè professum esse, argumēto sunt hæc omnia.

1. Quod ante 13. annos edita est præfatio mea, in Origi-nis Adamantij opera, in qua hæc pia doctrina tradita à me est.

2. Quod D. Marbachio ingens suum scriptum de controuersia ista olim edituro, disertè quid desiderarem in illius opinione exposui: habeoq́ eius responsum. Est id factum Anno 1 5 6 7.

3. Quod Mombelgardiæ, Bidenbachio modestè restiti, vrgenti doctrinam vbiquitariam, ante decem annos.

4. Quod extat disputatio de Sacramentis, anno 1 5 7 4. excusa, & habita à me, priusquam Basileam vocarer.

5. Quod etiam M. Crusius, eodem tempore, me eius argumenti Epistolam ad sese dedisse, non nescit.

6. Quod eius rei omni exceptione superiores testes habeo.

Quod enim in Confeßione Augustana, nulla Capernaitica & Vbiquistica Matheologiæ, mẽtio fiat, optima conscientia potui eam missam facere, & veritati testimonium perhibere.

Falsa autem sunt omnia, quæ addit Iacobus Andreas.

1. Quod præceptores, quos non amplius quàm per biennium, audiui Tubingæ: vllo contumelioso dicto impetierim. Ac mendacio Iacobandrico oppono Testimonium Basiliensis Academiæ, huic Apologiæ insertum. Veneror D. Snepfium & D. Herbrandum, quos res ipsa testatur melius mereri de studijs iuuentutis, quàm vtroque multo inferiorem doctrina, Iacobum Andream.

2. Quod ait me à collegis meis Basiliensibus Theologis, ob eam caussam priuatim admonitum aut etiam obiurgatum, ne illos lingua impeterem. Si vir bonus est Iacobus Andreas, proferat in lucem eius rei indicem Epistolam. Nam ego verè dico, figmentum illud esse vanißimum. Si clam cum aliquo contulit, & id sibi passus est persuaderi, me repre-

hensum,

hensum, ridiculam esse suam credulitatem, tandem agnoscat.

3. Quod ait, me Basileæ, non ausum istam profiteri doctrinam, quam Heydelbergæ propugnaui.

Anne autem Basiliensis confessionis doctrinam, Basileæ me profiteri non potuisse, credibile est? An non in volumine disputationum Theologicarum Basileæ à me habitarum, multa sunt de cœna Domini, et de persona Christi? An deniq; Academiæ Basiliensi, nullos etiam heroicos hospites, meo tempore adfuisse credibile est, qui falsò illud à Iacobo Andrea dici, testari possunt? Sed hac in parte ei illusum esse video epistolis fabulosis, quarum exemplaria Iacobus Andreas si in lucem (quod equidem velim) protulerit, malè consulet earum auctori: & multa commenta reteget, quæ operæ pretium foret innotescere.

O profligatissimam mentiendi in Iac. And. audaciam: quæ facit, vt sicut Araneus ex se fingit, ita ille mendacia ex seipso proferat. Increpet autem te Deus Sathan.

Quarta caussa est, quòd hic homo, consensus Orthodoxi publicus notoriusq; perduellis, nec mortuis nec viuentibus adhuc Dei seruis, nulli etiam ordini hominum, ætati nulli, quum irasci & maledicta spargere cæpit, parcere consueuit. Cum arena verò, quis homo cordatus, frustra luctetur.

Ego sanè malo me, cum piè defunctis: hoc est, cum Melanchthone, cum Oecolampadio (de quo viro, memini Iacobum Andream, recitare Brentij patris, vocem: Es were ein recht frommer Mann gewesen) cum Erasto, & alijs: cum superstitibus, D. Ioanne Sturmio, v. cl. & multis alijs, virtute & doctrina illustribus viris, quibus quantò sim inferior, non ignoro, à Iacobo Andrea exagitari & traduci: quàm alienum à virtute, pietate & meritis in Rempub. Christianam eorundem virorum, haberi, & plenis, ac planè

Vbiquisticis buccis celebrari. Video enim has ouis, quæ Theophrastus ὑπηνέμια, Zephyria subuentanea vocat, persimiles esse.

Quot autem iam annos debacchatus est in D. Theodorum Bezam, cuius viri vultum multò minus, si seriò conferēdum sit, ferre posśit Iacobus Andreas, quàm ipse D. Lutheri, si hic superstes foret, ferre posśim: cum gaudio æterno ipsius Dei in carne patefacti serenam visurus faciem. Lutheri etiam superstitis conspectum, nemini nostrum metuendum fuisse, testantur nostrorum cum illo congressus. Etsi autem, vt hoc addam, quod nemo nisi furiata mente Coroebus, negabit, Lutheri eloquentia in sermone vernaculo insignis fuit, & aliæ eximiæ spiritus sancti dotes in eodem fulserunt, ac illius libri legendi sunt diligenter: tamen & doctrina, & antiquitatis Ecclesiasticæ cognitione, & trilingui eruditione & modestia, D. Oecolampadius, Basiliensis nostræ Ecclesiæ Antistes, illo multò fuit superior. Nihil dicam de Martino Bucero, cuius vna pagella commentariorum in Euangelium, aut Epistolam ad Romanos, plus habet solidæ, seuerioris & confertæ doctrinæ, quàm ternio in plurimis Lutheri scriptis. Vera equidem dico rumpantur vt ilia Codro. Equidem non hoc dico in illius viri contumeliam, cuius memoriam veneror, scripta lego, sæpius forsan, quam quidem ipsius nominis potius quàm doctrinæ periti: sed vt iuuentus excitata admonitione vera periculum eius rei faciat, scripta conferat, nec Prophetarum vltimum Lutherum p. m. fuisse putet: nec eius lectione librorum contenta, cæterorum erudita & perpolita scripta, fastidio sibi maximè noxio, prosequatur.

Quàm verò inhumaniter nuper magni nominis Iurisconsultum, nobilisśimæ cuiusdam Reipublicæ consiliarium tractauerit, homo contemtu non responso dignus, quis nō videt? scilicet huius solius est, inquisitionem in aliena scripta instituere,

tuere, Magistratibus alienis, quid facto opus sit, qui viri docti suspecti habendi sint, qui non, præscribere: obtrudere sua commenta aliis vt subscriptione confirmentur? Quæ, malum, hæc iniusticia est, Philosophis, Medicis, professoribus bonarum artium, Iurisconsultis, iudicium de controuersiis religionis, tanquam profanis, omnino eripere: & tamen, requirere, vt paucorum Theologorum subscribant placitis, vt iureiurando præstito sese ad ea per omnem vitam probanda, obligent? An non his omnibus, qui certè sunt pars Cleri (vt Petrus loquitur) vox diuina præcepit: Prophetias ne pro nihilo habete: Omnia explorate, quod bonum fuerit retinete, 1. Thess. 5.20.21. *Cur his legenda sunt S. Biblia, si ad eorum trutinam ponderandæ & æstimandæ conciones, & scripta de religione non sunt?*

Iacobus sane Andreas & gregales eius, qui negant, aliorum, quàm ex professo Theologorum esse, sibi sumere iudicium de controuersiis religionis: longè profectò alio ducuntur spiritu quàm Moses, qui quum, non citra æmulationem aliquam Iosuam audisset, dicentem de Eldad & Medad prophetantibus in Castris: Prohibe eos, mi Domine: *respondit:* Nunquid æmularis tu propter me? & vtinam totus populus Iehouæ prophetæ essent, & quòd daret Iehouah Spiritum suum super eos? Num. 11.28.29.

Peccauit sane opinione istorum hominum, Lucas Medicus Col. 4.14. quod in alienam (si Deo placet) messem falcem misit, & Euangelium & Acta Apostolica conscripsit. Sed quid multis opus est verbis? Multis indoctis Theologis molesta est excellens quorundam Philosophorum, Medicorum, & Iurisconsultorum doctrina, etiam in Theologia: ideo perinde vt Papistæ negant Laicis legenda esse S. Biblia, ne dignoscantur illorum errores: ita hi, quia non possunt tueri personam, quam sustinent, cuperēt omnes esse cæcos, vt strabi inter eos regnare

possent. Non dico hæc in cõtumeliam ordinis, nec de omnibus: sed profectò de multis, qui suam inscitiam ipsimet, vt sorex, suo produnt indicio.

Nos verò omnium aliarum honestissimarum professionū viros doctos, hortamur & oramus, vt, quia communis est pijs omnibus pietatis professio & Christianismus, vtriusq; partis controuertentium scripta, cum iudicio legant, & ad scripturæ Canonem ea prudenter exigant. Immò etiam iuuentuti nostræ auctores sumus, vt D. Lutheri inprimis, vt D. Brentij, vt Chemnitij, vt Chytræi & Heshusij scripta legant, & diligenter expendant. Scimus enim non quidē eodem omnia, quæ scripserunt, habenda loco: multa tamen contra Antichristum piè & solidè, ab illis literis mandata esse, nō ignoramus. Ac profectò multis nostrûm, Chemnitij & Chytræi, doctissimorum hominū, nimia facilitas, in approbāda carnis Christi vbiquitate, & orali illa sacrosanctæ carnis Christi manducatione etiam impijs communi, permira visa est. Meritò autem collaudatur à nostris, Doctoris Tilemanni Heshusij cōstantia, in vbiquitario dogmate reijciendo & eruditè confutando: licet is circa cœnæ Dominicæ mysterium, à nobis ingenuè dissentiat. Me quod attinet, eo semper fui ingenio, vt Dei dona in alijs cum gaudio & gratulatione magna intuerer: ab ijs autem, quæ ἀνθρωπίνως, humanitùs, aspersa videbam, animi oculos auocarem. Ac eandem humanitatem hactenus ipse quoque expertus sum: & à me, circa hæc mysteria, nonnihil dissentientium liberis, non defui ijs officijs, quæ aduenis grata esse poterant: ac speraui, neminem vnquam fore, qui modestè in parte aliqua doctrinæ dissentientem, non eodem studio prosequeretur: donec ita me inhumaniter, Iac. Andreas (doctrina superioribus illis, neutiquam par) planeq; scythicè adortus est, & inuito Apologiam primam postremamq; (si Deo ita placebit meis annuere votis) extorsit.

Quinta

Quinta caussa est, quod hic homo, ne quidem consentientes in dogmatibus καὶ ὁμονοοῦντας *collegas aliter tractat, quàm vt plerisque notus magis sit, quàm charus: vt de Standicio Franciscano, aulæ Britannicæ quondam parasito, loquutus est alicubi Erasmus. Eo nomine nobis, qui ingenuè dissentimus ab eo, nec coniunctio, nec fraternitas eius (nisi fortè resipiscat: quod vtinam ei det Dominus Iesus) expetenda est, quando fratres ipse suos, huius ætatis Diotrephes* φιλοπρωτεύων *primatum appetens, ita barbaricè & cyclopicè tractat: quasi solus illam Augustino improbatam vocem, proferre de se poßit: QVOD VOLVMVS SANCTVM EST. Tum demum autem credent nostræ Ecclesiæ, eum vel syncretismo coaluisse, cum suis Collegis, qui paßim degunt, quum eorum literas testimoniales nobis exhibuerit: quum obliterabit memoriam, primum eiecti à sese VViteberga D. Pauli Crellij, à quo accersitus erat, hospes ericius: deinde Schechsiorum aulæ quondam Palatinæ Concionatorum, quorum vnus cum rectè pro concione exposuisset verba Apostoli, de forma Dei & serui, Iacobus Andreas eum odiosè perstrinxit, & tum illum, tum eius cognatum collegamq́, hoc elogio prosequutus est, vt diceret: in nulla aula tam indoctos asinos, concionatores aulicos, sese reperisse, vt in illa: quam Tragœdiam opt. & illustriß. Princeps Elector, adhibito Marbachio, ægrè potuit componere, vt testantur acta.* Tantæ molis erat Cadmæos iungere fratres. *Nihil dicam de infinitis propè alijs, in quos ille inuectus est. Hoc tantùm addam, quod mihi de Iacobo Andrea cogitanti sæpißime, è Plutarcho in mentem venit, de Rhetore illo infelice, qui cum in Græcorum omnium conuentu, magna vocis contentione & bonis lateribus, Græcos ad pacem ineundam, & ad bellum barbaris inferendum, hortatus esset. Ibi quidam ex Legatis,* Præclarum, *ait,*

con-

concordiæ suasorem nacti sumus: cui cum nihil domi sit, præter miseram vxorculam, & famelicam ancillulam, perpetuum tamen est inter Patrem familiàs, & has mulierculas dissidium iurgiumq́;. *Ita sanè, hic homo, cui cum nemine mortalium (nisi qui in ipsius verba iurat) diu benè conuenire potuit, ecclesiasticæ tranquillitatis & coniunctionis, auctor haberi vult. Fateor autem, iam olim, priusquàm modestiæ & humilitatis Theologicæ fines egressus esset, quum adhuc per literas cum Domino Caluino p. m. conferret, scripta moderata & συμβιβαστικὰ, conciliatoria, ederet (in quibus multa verè tum ab eo dicta, nunc ab eodem malè & falsò negantur) quòd videretur Martini Buceri ingenium nonnihil repræsentare, à me in precio habitum: præuidere enim tum non poteram, ea, quæ sequuta sunt: ac memini eum hortari me ad studium dissidentes vicinos conciliandi, vbi domum reuertissem: quod diceret, satis diu pugnatum, & se optare omnibus libris de hac controuersia ab vtraque parte euulgatis, flammis tandem absumtis, pacem Ecclesiæ restitui. Vtinam verò, postea ignem igni non ipsemet addidisset?*

Sed vt, quod res est edicam, eiusmodi hominis, donec non mutat ingenium, magis pestilens est amicitia, quàm inimicitia. Vt lenti securidaca, hordeo festuca, quæ ægilops dicitur: ita nobis quorundam ἑτεροδιδασκαλούντων diuersam doctrinam docentium, coniunctio, planè est recusanda, donec, inquam pestilenti fermento, massam doctrinæ Christi, corrumpere non desinunt.

Sexta caussa est, quòd sibi in doctrina non constat hic homo. Ac certè dum mihi alijsq́; inconstantiam ideo obÿcit, quòd erroribus ipsius agnitis, veritati locum dedimus, nobis imponit necessitatem tribuendi eidem constantiæ laudem, sed in sola inconstantia: Vt enim Amphisbena, vtrimq́; caput habet, & vtralibet corporis parte, præter aliorum serpentum morem,

morem, vtitur pro cauda: sic hic Proteus, diuersis rationibus, multumq́ue pugnantibus res suas agit, & eadem aliàs laudat, aliàs damnat. Annon enim omnibus notum est, hunc nostri seculi Momum, Corpus doctrinæ Philippi, editum VVitebergæ aliàs laudasse, aliàs damnasse: Philippum Melanchthonem & laudasse, & inhumanissimè insectatum esse: vt de alijs quos Censor hic sibi dijudicãdos sumsit, ipse ferulæ eorum subijciendus, nihil dicam? De differentia specifica vnionis duarum in Christo naturarum, quàm varia (vbi semel à vera deflexisset differentia, quæ est, vnam personam constituere) & ἀσύστατα commentus est, de reali effusione omnium deitatis proprietatum, de anima rationali et corpore, de λόγῳ per carnem omnia omnipotentiæ opera peragente, de omnipotentia, de adoratione carnis Christi: deq́ue multis alijs. Desultoria enim leuitate è calcaria in carbonariam sese contulit, vt vno plumbeo suo telo obtuso, aliud atq́ue aliud arripuit, & eiaculatus est, eo successu, quo in cælum expuentes fronte sputum excipiunt.

Profectò verè dixit Hippocrates, Morbum periculosissimum esse, qui habitum oris subinde mutat, & ægrotum sui dissimilimum facit. *At enim quantò periculosior vbiquitas est, quæ vnum eundemq́ue hominem, concionatorem Ecclesiasticum, Consiliarium Aulicum, Bebenhusianum Monachum, Venatorem, Professorem, Volaterranum, Metiochum denique facit?*

Est tamen locus in Olyntho Thraciæ, scarabæis infestus, in quem alioquin longè lateq́ue circumuolitans si conijciatur scarabæus, nullo modo amplius egredi potest, sed se ipsum distorquens tandem miserè immoritur: Ita postquam hic vir, extra verbi Dei septa egressus, in vbiquitarium circulum semel ingressus est, egredi iam non potest, & in eo variè sese distorquens, & in omnes formas sese transformans, miserè conficitur. Et tamen putat sese alijs honestis doctisq́ue viris, maledi-

cendo, notam nigram apud heroicos aliosq; homines posse aspergere: non interim videns, bonis probari eos magnoperè, qui eo quòd veritatem modestè profitentur, Iacobo Andreæ sunt admodum ingrati. Præclarum enim est, ob φιλαλήθειαν, veritatis amorem eius aduersario, vehementer displicere. Et rectè dicitur, de veritatis studiosis: ἡ ἀρχὴ μεγάλης ἀρετῆς ὠνήσαι ἀλήθειαν. Principium magnæ virtutis est veritatem redimere.

Septima caussa est, quia eminus me aggreditur, qui cum præsente cominus paratus & eram & sum, seu Basileæ seu Heydelbergæ, sed æquo iure, de doctrina conferre. Eminus autem & post principia versanti, sibiq; strenuè cauenti, dicam id quod in Prouerbio est: Impete artis tuæ peritum. Ego enim conuiciari non didici: nec volo mihi esse negocium cum Bonaso: quod animal, quia cornibus inutiliter implexis lædere non potest, fugiens sparso fimo venatores, ita vt aliquis ignis, adurit: ac Sophistas refert, qui non coràm, sed eminus tantùm pugnant conuicijs & mendacijs, & dentata charta. Sicut & Iacobus Andreas ante 11. annos timidè Tigurum transcurrens, ne cum Bullingero & Gualthero, necesse haberet conferre, postea Mombelgardiæ, absentis Domini Bezæ συζήτησιν & colloquia, inter pocula, anxiè desiderabat: vt norunt aliquot præstantes viri, quorum aliquot superstites sunt. Mihi nec animus nec ocium est, omissa piæ iuuentutis institutione, cum agrestibus istis ingenijs colluctari: ac non maiorem fructum cum illis certando percipi posse video, quàm Erasmus tulit ex bello cum barbaris Monachis. Imitabor certè Philosophum illum, qui cum incidisset, coram multis alijs, in conuiciatorem, & ab eo impeteretur conuicijs, statim surgens, abijt. Quumq; alter diceret: Mane, mane, plura enim & grauiora tibi dicturus sum. Tum ille, Quando, ait,

ait, tu tibi copiam facis deblaterandi ea, quæ libido & ira dictant: ipse quoque mihi potestatem sumam, te nequaquam audiendi. Ingenuè itaque profiteor, me à lappis, tribulis & stercoribus insulsorum scriptorum, non minus quàm à Lullianis, & alijs scurrilibus scriptis, mentem & oculos, & manus, ad meliora scripta legenda, esse conuersurum.

Octaua caussa est Crambe, sexcenties ab isto homine, cocta, recocta, & maledictorum sputo cænoq́ consurcata. Fruatur ipse suis delicijs, iuuentutem posthac hortabor, vt aliorum potius, qui aduersæ partis opinionem pro virili, maioreq́ modestia, tutati sunt, libros legat: qui & puriore oratione sunt conscripti, & non habent tam multa artis maledicendi specimina.

Sæpißimè, sapientißimeq́ satisfactum est leptologijs, Coccysmis & argutijs, & ijs quas adducit, & alijs eiusmodi: quas rectius cum luto platearum ingredientes impellente ad lapsum, quàm cum telis aranearum (vt Aristo Chius voluit) contuleris, quum fructus subtilitatisq́ nimium habeant: & vox diuina sæpe frustra monitos opinatores, nobis reijciendos esse testetur. Poterit ille si volet, Aspendij tibicinis more, sibi ipsi priuatim canere.

Nona caussa est, quia hic vir ædilitatem gerit sine populi suffragijs. Populus Dei nondum illum constituit, nec vnquam constituet, actorem pariter & iudicem nostræ caussæ. Ego itaque, quem ille benignus Magister discipulum refractarium compescere conatur, solo suo ἀυτὸς ἔφα, Ipse dixit, *hoc illi respondeo, quod ille Romanus*: Si ego tibi non sum senator, nec tu mihi consul eris. *Ne tamen aduersarij exemplo, decori immemor sim, pòst dispulsas fumosas illius calumnias, missum illum faciam, pro eo Christum orabo, hortabor alios, vt cæteras eius viri dotes.*

agnoscant: personam, quam sustinet in laudatissima schola Tubingensi, vt virtute potius, quàm morositate tueri poßit, optabo: eamq́ venerabor ipse: sum enim ordinis, per Dei gratiam, amans: & scio, propter vitia, publici muneris functionem non esse parui faciendam. Sicut nec Paulus, parui fecit munus Apostolicum, quando Petrum, non recto pede, vt conueniebat Euangelio, incedentem, palàm reprehendit Antiochiæ: nec Augustinus iniurius fuit in presbyterorum ordinē, quando modestè Hieronymo, periculosè de loco Pauli Gal. 2. pronuncianti, sese opposuit. Publicè in me, & quidem atrocissimè iniurius fuit Iacobus Andreæ: sic vt spiritum lagenæ eructasse & duo illius Epistolia, & insulsam farraginem magno hiatu prolatam, appareat. Boni ergo consulat, quod liberum tulit responsum. Qui enim quæ vult dicit, quæ non vult, audire cogitur. Cogitet Iacobus hic Andreanus, quid sibi Bernardi illa vox velit: Prælati esse volunt formidini, vtilitati raro, & det operam, ne de se quoq; idem dici poßit, Præposito. Audiat quin etiam Ambrosium dicentem: Nonnulli Abbates humili sub habitu, superbè agendo, volunt à suis subditis strictissimè obediri, & ipsi superioribus obedire recusant. Audiat & Gregorium dicentem: Prælati debent humiliter pati correptionem à subditis. Addo, si à subditis, quantò magis ab alijs Ecclesiis, & earum Antistitibus, quorū par est auctoritas. Facilè feram si me discipulum vocet: etsi, vt verè dixi, illis temporibus raro illi docere integrum esset: benè præmeditato, rarißimum. Vbiquitatis autem dogma excipio, persuasum habens, illud è diametro pugnare cum omnibus fidei articulis, de Iesu Christo saluatore nostro. Eius respectu non est cur Magisterium aliquod sibi in me sumat: quum & ipsi duodecim annis natu me maiori, cordi esse debebat illud Solonis: Senesco semper plurima addiscens: & ætas nonnihil ingrauescens, errori non addat

addat fidem: ac pij multi, ad Dei laudem cum Dauide dicere poßint: Aduersarijs meis sapientiorem me reddidisti præceptis tuis: quoniam ea sunt mihi in perpetuum. Omnibus doctoribus meis prudentiorem me fecisti, quia testimonia tua sunt meditatio mea. Senibus sum intelligentior: quia mandata tua seruaui. Psalm. 119. 98. 99. 100.

Itaq; quum legerem illa tua verba, quibus negas posteriores meas curas meliores esse: venit mihi in mentem, tum vetus illud prouerbium tibi vbiquitatem propugnanti conueniens, Mandrabuli more res succedit: *tum illud etiam:* Qui maior est ætate, maior est iniquitate. *Certè qui tua scripta cum iudicio legunt, & tuas amburbias oberrationes & res gestas perpendunt, parum te proficere ideo iudicant, quia contra conscientiam multa tum dicere tum facere, (lucent enim in primis tuis scriptis eius rei testimonia) & eo nomine intelligentiæ lumen in te sensim iusto Dei iudicio, exstingui censent. Sed hæc & alia Deo relinquo.* NB.

Postrema caussa est, quod serui Christi characterem, charitatem, ac proinde lenitatem & mansuetudinem, nequaquam nobis probat Iacobus Andreas.

Clamat Christus: Ex hoc omnes cognoscent, vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alij in alios. Ioan. 13. 35. *Item,* Discite à me quòd mitis sim, & humilis corde. Matth. 11. 29.

Donec ergo Iacobus Andreas, Christum Iesum inuocantes, & piè docentes, odio immani æstuans, hypocriseos, periurij, turbatæ Ecclesiæ, & aliorum, falsò insimulabit, non alio loco apud pios erit, quàm eo, quo olim apud inclytæ gentis Anglicæ Episcopos & presbyteros, ille sedis Romanæ Apostolus Augustinus nomine, cuius alicubi meminit venerabilis Beda, Anglosaxo: cuius historiam ideò, pie Lector, breuiter aspergam,

quia non tam ouo ouum simile est, & rana ranæ, quàm vbiquitatis Apostolus ille, sedis Romanæ isti Apostolo.

Regnante Edelfredo rege Anglosaxonum, venit à Papa Romano missus Augustinus quidam, in Britanniam, vt Ecclesias reformaret, & doctrinam ac ceremonias Romanæ Ecclesiæ, in Ecclesias illius regni inueheret. Tantum enim abs re sua officij illi erat, aliena vt curare, & ἀλλοτριοεπίσκοπον, seu alienarum rerum inspectorem agere: & magnopere cuperet, & sibi posse videretur.

Quum de eius aduentu & instituto, nuncia fama longè latéq; sparsa percrebuisset, Episcopi & Presbyteri Anglicani, sanctum quendam senem, prudentiæ laude insignem, adierunt, & quid Augustino isti deferendum esset, percunctati sunt. Respondit ille: Si Christi seruus est, audiendus vobis erit. Tum illi, sed vnde Christi seruum esse dignoscemus? Tum senex, si mansuetum & humilem esse animaduerteritis, non iam dubium vobis esse debebit, Christi seruum eum esse. Quæsierunt Antistites postremò, Quomodo autem mansuetum & humilem eum esse, cognoscere poterimus? Respondit ille, si homo aduena, vobis eum accedentibus, assurrexerit, & in Christi nomine fraternè vos exceperit, pacem Christi vobis precatus fuerit, haud dubiè mansuetus & humilis est. At si considens, vos accedentes velut è sublimi despexerit, vobis quoque contemnendus erit, vt qui non sit Christi seruus, eoq́s nomine nec fide dignus, nec honoris cultu prosequendus.

Quum autem non multò post, congressi essent, & Reuerendus ille Legatus, in Cathedra sua pontificaliter, & immoto corpore sederet, nec debita reuerentiæ signa, Angliæ Episcopis & Presbyteris, tamquam conseruis in Ecclesia Christi, exhiberet: nec nisi pro auctoritate, quam sibi ipse sumserat, de doctrina & liturgia Ecclesiastica pronunciaret: confutatus

& me-

& meritò explosus, eò, vnde non vocatus venerat, re infecta rediyt.

Sed tamen stragis sanctorum quorundam hominum, ab Edelfredo rege, qui nimium fidei Augustino illi habuerat, editæ, auctorem ipsum fuisse, testatur idem Beda: vt eius quoque exemplum documento sit, παρεισάκτους ecclesiæ turbatores, procul summouendos ab ouili Christi: & Deum assidue orandum, vt suis præsidio sit, & dissipet gentes, quæ bella volunt.

Restat, vt hoc Coronidis loco addam, disputatione publica Heydelbergæ à me, σὺν χριστῷ, traditam doctrinam, quam optima conscientia profiteor, me subycere, synodi, iudicantis ex præscripto verbi Dei, grauissimo iudicio. Nec moueor iniquissimo Iacobi Andreæ praiudicio, quòd eam sæpè damnatam ait. Damnata enim ea est ab actoribus quibusdam inhumanis, nō à legitima Synodo. Vt autem omnes blasphemiæ Arianorum, omnia eorum scripta, omnes pseudosynodi, vt Tyria, Seleuciensis, Ariminensis, & aliæ, non fuerunt praiudicio piæ doctrinæ, de æterna Deitate fily Dei: item, vt acta Eutychianorum, eorum Henoticum, & Synodi, sub Zenone, Basilisco, & alys Imperatoribus, ipse etiam Anastasio Silentiario, non præiudicârunt, piæ doctrinæ, de duabus naturis in vna persona inconfusè, inconuertibiliter, & indiuulsè vnitis: Denique, vt Tridentinæ Synodi decreta, Euangelio non præiudicant: sic nec Iacobi Andreæ, nec aliorum quorundam Theologorum, lucem Synodi reformidantium, anathematismi, nec applausorum quos illi habent, numerus (nostrorum suffragatorum numero inferior) nostræ sanctissimæ & inuictissimæ caussæ, vel tantillum derogant.

Constat autem Iacobū Andream, priusquā formulæ cōcordiæ subscriptionē impetrasset: ea spe multos lactasse: posteà in synodo de re ista agendū, vbi ex subscriptione liqueret, quos sibi

addictos

addictos haberet. Nunc negat opus esse synodo, quod manifestum est animi caussa suæ diffidentis, testimonium.

Sed enim, siue Synodus aliquando indicatur (vt id fiat nostri, qui lucem & veritatem amant impedimento nunquã, adiumento autem pro virili sua parte, erunt) siue non indicatur, nec vnquam propter mundi peccata celebretur: Nos tamen, Deo pro reuelata luce veritatis gratias agentes, in ea ambulabimus: aduersariorum odia & præiudicia Deo, iudici iusto, & quem nobis in magnis oppressionibus, adesse iam longo tempore experimur, cõmendabimus. Canent, canent cygni lætum veritatis Pæana, cum vobis graculis, silentium dux noster Iesus Christus imponet: quum vos, si ἀμετανόητοι esse perrexeritis, sternet sub pedes suos. Adest iudex pro foribus, quem læti præstolamur, quem nobis fessis robora sufficere experimur, quem vobis irasci videmus: quem tum demum vobis propitium esse iudicabimus, vbi vos abiurato vbiquitario dogmate, Iesum Christum in carnem verè venisse, vnà nobiscum sincerè credere ad iusticiam, & ore profiteri ad salutem, animaduerterimus.

Ad te, piè Lector, redeo, & te amanter oro, vt quum me Christi caussa, conuicijs ab isto miserrimo homine lapidatum, videas: boni consulas, ingenuam liberamq́ ἀντεισαγωγὴν & defensionem meam: qua contentus, patiar illum suo more agere, donec vel compescat eum Christus, vel ad meliorem frugem reuocet. Ego sane, annis iam aliquot, Christum seriò comprecatus sum, vt me non nisi virtutum alienarum, donorumq́ Spiritus sancti spectatorem, & admiratorem esse vellet: & eo nomine à Iacobi Andreæ scriptorum, quod ea plaustris conuiciorum & commentorum referta viderem, consultò, & quidem multorum bonorum exemplo, abstinui: nuper autem, picem duorum eius Epistoliorum, & Draconis longam caudam, quam confutationem meæ disputationis ipsi vocare collibuit,

vbi

vbi attigissem, honoris & integritatis meæ tuendæ caussa, non sine precibus ad Deum, hæc scripsi, illud interim meditans: δεῖ ὅσια πράττειν καὶ εὔφημα λέγειν, Decet sancta facere, & auspicata loqui. *Deus, pie Lector, tibi vbertim benedicat, & te custodiat à lingua & calamo Iacobandrico; cui hoc vnum boni inest, quòd Porphyrio, edentulo serpenti, venenum sibi soli habenti similis, potest malè cogitare & loqui, sed destituitur nocendi facultate.*

CONFVTATIO ALIQVOT SOPHISMATVM IACOBANDRI-corum in gratiam piæ iuuentutis, addita Apologia.



Enè habet, ingeniosa iuuentus, quòd etsi mendacium bonis insidiatur, vt alicubi Cyprianus Martyr, pronunciauit: tamen eiusdem sententia, non diu fallit. Tenuè enim mendacium est, *ait Seneca*: perlucet, si diligenter inspexeris.

Quæ autem ille Sophistarum more, prolixa sed incomta oratione adhibita, profert, ea syllogismi centro spacioq; includemus: dabimusq; operam, vt sicut fugitiua mancipia, ad heros suos pertrahuntur: ita istius hominis sophismata, ad suas Fallacias, quarum propriæ sunt, reuocentur.

I. De Basi doctrinæ.

INitiò, vt probet Iacobus Andreas, de institutione Cœnæ Dominicæ, verba Euangelistarum & Pauli, ipsius opinioni (de Corpore Christi in pane Dominico latitante, & oraliter etiam ab infidelibus, manducato) non autem piæ nostræ senten-

tia, quæ in Orthodoxa nostra disputatione exposita est, esse basim & fundamentum: duo Herculea (si morbum spectes) Argumenta, adducit.

Atat, magnum stridens contorta phalarica venit, bruti fulminis in morem acta. Benè habet, quòd conticuêre omnes, intentiq́ ora tenebunt, quando Smidelinus ita nunc farier infit.

I. Eorum demum doctrinæ de cœna Domini, basis sunt verba institutionis, qui fatētur differre plurimùm, hæc duo verba EST, & SIGNIFICAT.

Atqui ego Iac. Andreas, prępositus fateor differre illa duo verba: & probo id primū apposita similitudine: Nec facilè creditor sibi satisfieri pateretur, si debitor centum florenos debens, illi per significationem sine pecunia satisfacere cuperet. Deindè, etiam hoc pacto idem probo. Verba Testamenti sunt: ideo non permutanda, aut alia in illorum locum reponenda sunt.

Econtra, ij quià nobis dissentiunt, EST, & SIGNIFICAT, differre negant. Argumento est, quòd illis probatur regula Augustini: Aliquando res quæ significat, nomen eius rei, quam significat, accipit. Epist. 102.

Quare ego Iacobus Andreas, præpositus, concludo, verba institutionis cœnę Dominicæ, esse basim nostrę vbiquitariæ opinionis: non autem sententiæ eidem è diametro aduersantis: id quod mihi probandum erat.

Responsio.

VT liberè dicam quod res est, his iam expectatio mea me frustrata est. In publico disputationum congressu, omißis iuuenibus, iussus, Doctores aliquot Theologos amanter hortatus sum, vt eruditè argumentarentur, & placidè: Sed hos deteriora minusq́ speciosa quàm quæ ab eorū discipulis adducta

erant,

erant, adduxisse, postea comperi. Erant ingeniosis hominibus quorundam argumenta meritò, ludus, iocusq́: Sed vt video hæc Iac. And. nihilò sunt meliora & speciosiora. Habes, ingeniosa iuuentus, lepidum exemplum prouerbij: δϵύτέρων ἀμϵι-νόνων, posterioribus melioribus. Scilicet isti homines, non iniuria negant aliorum posteriores curas meliores esse, quando ipsorum curæ posteriores stultiores esse, loquitur res ipsa. Sed ad rem.

In Maiore sua propositione, quàm athlethicè petit principium hic præpositus? Etiam eius industriæ caussa alijs multis præponẽdus: nisi fortè excipias alium aliquem, qui si prior inter conuentuales præposito sit, ius suum tuebitur.

In Minore autem, quid tandem sacrum & sanum est? Fatetur Iacobus Andreas se discernere verba EST & SIGNIFICAT: Sed quid eius orationi deferas, qui multa non fatetur tantum: sed etiam affirmat, vera esse, quæ tamen falsissima sunt. Itaq; necesse habet vt prius fidem apud nos sibi faciat, quam quid fateatur edicat.

Probatio prima quam adducit huiusmodi est. Sicut se habet Creditor ad Debitorem, ita se habet is, qui vtitur sacra Cœna, ad eum qui pane vitæ suos cibat.

Atqui nullus creditor, debentem 100. fl. significatione eorundem sibi satisfacere pateretur.

Ergo nec is, qui sacra Cœna vtitur, significatione corporis Christi, seu signo, sibi satisfieri à Deo patitur.

Huic argumento ne quidẽ tota satisfecerit Sorbona, etiamsi millies neget Maiorem, ac dicat illa quæ conferuntur heterogenea esse: & simile vulcanianum esse, hoc est, claudicare in vtrumq́; latus.

Ad secundã probationẽ Minoris, respondeo, primùm per concessionem. Sunt, fatemur ipsi quoq;, Testamenti verba: deinde, per inficiationẽ: sed nimis impudenter hoc abs te dicitur

Iacobe Andrea illa abs te non permutari: nec alia abs te in eorum reponi locum. Quid enim? An non, hanc propositionem, Panis Dominicus est Corpus Christi, &c. tu permutas in aliã: In, cum, sub pane dominico est Corpus Christi? Si æquipollentes esse opinaris, illas propositiones, quas adduxi: quid superest nisi vt dicas etiã hasce æquipollentes esse propositiones: Petra erat Christus: &, In, cum, sub petra erat Christus? Scilicet nihil interest, siue dicas, de Sacramento loquens, hoc esse illud: siue dicas in, cum, sub hoc illud esse?

Iam quòd perindè loqueris Iacobe Andrea, ac si absolutè dicamus, verba ista duo EST & SIGNIFICAT, nunquam & nequaquam differre, id verò more tuo, falsò, affirmas. Nos enim cũ Augustino dicimus: Nec moueat, quòd ALIQVANDO res, quæ SIGNIFICAT, nomen eius rei quam SIGNIFICAT, accipit. Sic enim & Petra Christus, quia SIGNIFICAT Christum. Epist. 102. Hortamur autem te, significationis hostem, vt & hæc eiusdem Augustini verba tecum perpendas: Non dictum est, Petra SIGNIFICABAT Christum, sed Petra erat Christus. Ita enim solet Scriptura loqui, vt res significantes, tanquam illas quæ significantur, appellet. In Ioh. Tract. 67. Quid igitur mali in eo fuerit, si quis dicat Panem terrenum in sacra Cœna, significare panem vitæ, qui de cælo descendit: & ita significare, vt homo fidelis, particeps sit non magis signi, quam signati? Quid autem in eo absurdi sit, si quis & Panem illum dicat esse Christi corpus: & si quis Christi corpus dicat esse panem, vitæ nimirum: sicut loqui solet Scriptura sancta?

Panem autem illum esse Christi corpus, secundum esse Sacramentale, aut essentiale, necesse habes vt fatearis. Si secundum esse Sacramentale, panis est corpus Christi: cur nobiscum pugnas? Si secundum esse essentiale, quare non Pontificijs, Transsubstantiationem statuentibus, te adiungis?

Lutheri autem piæ memoriæ dictum, quod in Homilia de

Sacra-

Sacramento & fraternitate extat, tibi ruminandum ideò proponam, ne verbum SIGNIFICO, *Hechingensi latino odioq́; tibi posthac putes esse insectandum* : Sacramentum Altaris habet tria, quę oportet sciri. Primum est Sacramentum siue signum : alterũ est significatio illius Sacramenti : tertium, est fides vtriusque. Sacramentum oportet externum & visibile esse: in corporali forma & specie. Significationem oportet internam & spiritualem esse, in spiritu hominis. Fidem oportet horum vtrumq; ad fructum & vsum transferre.

II. Verba institutionis Cœnæ Domini (ac nominatim verba Pauli : Poculum benedictionis, cui benedicimus, nónne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nónne cõmunio corporis Christi est? 1. Cor. 10. 16.) basis sunt, non sententiæ, sed scripti, ac proinde eorum, qui hoc tuentur.

Nos verò, ait Iacobus Andreas, scriptum retinemus: atque id probamus.

Primùm Aduersariorum, qui scripto nos insistere fatentur testimonio.

Deindè, à Reipsa, quia dicimus : Hoc esse corpus Christi : non autem significare corpus Christi.

Tertiò, quia verbis Cœnæ nihil addimus, nihil detrahimus.

Econtra autem Aduersarij, sententiæ verborum cœnæ insistunt.

Quare concludo, nostræ opinionis, non autem illorum sententiæ, basim esse institutionis verba.

Responsio.

QVid viris prudentibus in mentem venire censes, pia iuuentus, quum audiunt hunc hominem, de verbis litiga-

re, non de eorum sententia: more Magorum: & scriptum cōminisci, de cuius sententia non sit laborandum? Annon verba rerum notæ sunt, & sententiæ documenta? Sed condonemus hanc barbariem, hostibus rationis humanæ.

Maior Iacobo Andreæ erat probanda: sed quòd eam videret vomica incurabili laborare, non ausus est ei medicam adhibere manum. Itaq; vt solent Sophistæ hulcus attingere noluit, ne purulenta materia erumpente, qualis ille Chirurgus sit, innotesceret.

Minorem quum probandam suscepisset, demorsos vngues & cæsum pluteum, non vna ostendit ratione.

Primum enim ludit paralogismo à dicto secundum quid, ad simpliciter dictum: quum ait, Nos fateri illos insistere scripto, quum hoc ex illorum hypothesi à nobis dicatur. Reuera autem Pontificij scripto insistunt, eoq; nomine Transsubstantiationem statuunt. Iacobus autem Andreas, sic scripto insistit, vt Lutheri Synecdochen non improbet: & vt fingat idem sibi velle propositiones, Panis est naturale Corpus Christi: vt Lutherus loquutus est in parua Confessione: & in, cum, sub pane, latitat Corpus Christi. Verborgen in dem Brot so klein/ vnd sein Blut im Wein.

Deinde repetit Coccysmum, de verbis Est & Significat: eorumq; differentia. Dicat autem nobis, Iacobus Andreas, nihilne intersit inter has propositiones. Dominus Iesus est filius Dauidis: & Dominus Iesus est Agnus Dei, est vitis, est petra: si inquam verbi substantiui vim & vsum spectes?

Tertiò, fortiter affirmat, sed ne quidem timidè probat, verbis institutionis nihil se addere, nihil detrahere. Annon enim addit hæc commenta.

1. Panem esse naturale corpus Christi. Nisi Luthero contradicat.

2. *In pane corpus Christi occultari: vt idem Lutherus cecinit.*

3. *Corpus Christi oraliter, sensualiter edi, dentibus teri.*

4. *Etiam infideles carnem Christi edere, quum panem Domini edunt.*

II. De Saluatoris nostri Iesu Christi, omnipotentia, veritate, omnipræsentia & adoratione.

HOc loco contra præceptum Dei; Non dices falsum testimonium contra proximum tuum. Iacobus Andreas, ita argumentatur:

Impiè & apertè negatur à parte altera, Domini Iesu Christi omnipotentia, veritas, omnipræsentia & adoratio.

Falsò igitur dicitur in Disputationis Præfatione, De his dubitare nefarium esse, nostrorum omnium sententia.

Antecedens suum Iacobus Andreas hoc pacto probare conatur.

1. De Omnipotentia diuina, scripsit Petrus Martyr, Nulla vi diuina fieri posse, vt verum & naturale corpus simul sit in pluribus locis.

Ergo apertè omnipotentiam Christi negauit: & per Consequens, contradixit & Angelo, dicenti : Apud Deum non est impossibile omne verbum.

Responsio.

OMnipotens Dei vis, non pugnat cum eiusdem voluntate. Iuxta dictum : Deus noster est in cælo : & omnia quæ

voluit

voluit fecit. Psal. 115.3. Sicut ergo, virtuti iuxta & voluntati illius inuicta & immutabiliter bonæ, nihil derogat illud Pauli dictum: Seipsum negare non potest. 2. Tim. 2.13. Deus mentiri nescius est. Tit. 1. 2. Ita nec dicta illa piorum hominum, de corporatis creaturis, quæ initio spacioq; circumscriptæ sunt, si creationis ordinem spectes, omnipotentiæ Dei derogãt. Vult enim Deus tales esse illas creaturas: itaq; potentia sua nõ efficit vt aliæ sint, quàm ei visum est eas creare.

Adscribam autem verba Petri Martyris, quæ extant in illius Commentario, 2. Reg. 4. vt quid hic vir de Omnipotentia diuina senserit manifestum fiat: & sepulti innocentia vindicetur. Porrò, Dei *ait Martyr*, est omnia illa facere, quæ contradictionem, vt loquũtur in scholis, nõ implicãt. Nam ea alioquin, quum se mutuo tollãt ac perimant, fieri non potest, vt simul cõsistant. Nec tamen id quicquam imminuit de omnipotentia Dei. Nam Deus est omnipotens, quamuis non possit vel peccare, vel seipsum negare: aut efficere quæ præterierint, vt non sint præterita: nec efficere vt corpus humanum, dum est, non sit humanum corpus: vtq; ternarius numerus non sit ternarius: quoniam hæc impossibilia sunt non eius defectu, sed ex ipsa rerum contradictione.

Instantia Iacobandrica.

IIdem scripserunt, Christum non plura promisisse, quàm potuerit præstare. Non posse autem præstare, vt corpus suum simul sit in cælo & in Cœna præsens, quia implicet contradictionem.

Quapropter Christus realem sui corporis in pane presentiam, nequaquam promisit: Et per Consequens, Christus non est omnipotens.

Respon-

Responsio.

NOn de facultate, quæritur, sed de voluntate. Quare si tu, Iacobe Andrea, probaueris, promisisse Christum realem corporis sui in pane præsentiam (ad Græcas autem calendas, & vbiquitatem tuam, & hoc commentum probabis) tum de præstandi facultate, litem tibi nullam faciemus.

Porrò, quis te ita docuit argumentari: Negans realem corporis Christi in pane præsentiam, tum promissam esse, tũ à Christo præstari posse: is negat Christum omnipotentem esse? Nos verò Christum secundum deitatem, ipsam etiã omnipotentiam esse, credimus: & insuper de toto Christo dicimus omnipotentem, omnisciumq́ue esse.

II. De veritate Christi, sic sophista calumniosè argumentatur.

Quicunque negat omnipotentem esse Christum, negat & veracem esse.
At pars altera negat omnipotentem esse Christum.
Negat igitur & veracem esse.

Responsio.

NOs verò, Iacobe Andrea, lætamur, quòd Iesum Christum cordium scrutatorem habemus, eiusq́ue spiritus vnctione edocti, credimus, ipsam etiam esse veritatem & sapientiam, Dominum, inquam, nostrum Iesum Christum.

Et quia, non dubitamus appellare tuam conscientiam testem diabolici tui mendacij, quod in Minore inculcas, Anselmi dicto commemorabili, tibi respondemus: Qui veritatem occultat, & qui mendacium profert, vterq; reus est: ille, quia prodesse non vult: iste, quia nocere desiderat. Annon autem horrenda tua audacia est, quòd tibi vni & ei-

dem, & veram sententiam nostris derogare: & falsissimam, affingere, non est religio? Sed benè habet, quòd licet homicidarum, qui nulla humana iudicia verentur, exemplo, prætumida animatus fiducia, mendacijs aspergis & Martyrē, & alios: tamen vicinus es tribunali Dei iusti iudicis. Paulò post peccatum tuum expergiscet. Interea eo nomine coram tota Ecclesia abominandus es, quod tua sibiipsis mendacia mentiuntur (vt loquitur Chrysostomus) & faciunt, vt nemo qui te nouit, fidem tibi habeat.

III. De Omnipræsentia Christi, quam nos negare, impiè nugatur, sic Iacobus Andreas ratiocinatur.

De assumta natura humana quæritur. Cùm igitur Christus non sit sola diuinitas, nec sola humanitas, sed simul Deus & Homo, si Christum omnipræsentem dixeris, nusquam à λόγῳ humanitatem assumtam personaliter abesse, confiteri necesse est. Quod Zuingliani pertinaciter negant, Lutherani constanter affirmant.

Pro tuenda Carnis Christi omnipræsentia, sic argumentatur Iacobus Andreas.

Quicunque Christum omnipræsentem esse dicit, is necesse habet fateri nusquam à λόγῳ humanitatem assumtam personaliter abesse.

Atqui Grynæus Christum omnipræsentem esse ait.

Necesse igitur habet fateri, quòd assumta humanitas à λόγῳ nusquam absit personaliter.

Maiorem sic probare nititur. Quia Christus nō est sola diuinitas, nec sola humanitas: sed simul Deus & Homo.

Responsio.

IN Maiore, etsi ea vera falsis permista habet, fallacia est, à dicto secundum quid, ad simpliciter dictum. Totus Christus est

est omnipræsens, omnipotens, cæli terraq; conditor: sed non totum Christi. Peccat autem Iacobus Andreas grauissimè, quando iunioribus confusione abstractorum & concretorum vocabulorum, fucum facit. Vt quum ita colligit, Homo Christus est omnipotens & omnipræsens. Ergo humanitas eius omnipotens & omnipræsens est, per se videlicet considerata. Si quis dicat hominem Christum conditorem & conseruatorē Mundi esse: num inde sequitur, & humanitatem conditricem esse Mundi?

Insidiæ autem sunt in perplexa illius oratione, Humanitas à λόγῳ nusquam abest personaliter. Nos fatemur nusquā esse λόγον, vbi non sit Deus in carne patefactus: fatemur locorū diuersitatē, non efficere vt personaliter vnitæ naturæ disiūgantur, vt non sit vna earum persona. Interea Christū secundum carnem in cælo esse dicimus: qui deitate sua vbiq; est. Ne autem Iacobus Andreas sub quouis lapide scorpium quærens, habeat quod cauilletur, adducā verba Augustini, ex Epistola ad Dardanum. Christum autem Dominum nostrū, vnigenitū Dei filium, æqualē Patri, eundemq; hominis filiū, quo maior est Pater, & vbiq; TOTVM præsentem esse nō dubites, tanquā Deum: & in eodē templo Dei esse, tanquā inhabitātem Deum: & in LOCO aliquo COELI, propter veri CORPORIS modum. Nā spacia locorū tolle corporibus, nusquā erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt.

Si Smidelinus bona fide agere voluisset, sic certè formasset sophisma suum.

Qui Christum omnipræsentem fatetur, is Carnem eius omnipræsentem esse negare non potest.

Atqui Grynæus fatetur, Christū omnipræsentē esse.

Ergo Carni quoque eius tribuere cogitur, quòd ea omnipræsens sit.

Sed maluit insidiosa Maioris determinatione vti, ne de-

prehendi vitium ab imperitis posset (sicut inhonestæ mulierculæ cerussa stibioq́; faciem pingunt ne deformes rugæ appareant,) & dicere: Nusquam à λόγῳ humanitatem assumtam personaliter abesse: quæ lubrica oratio lubricæ mentis index est: nec multum dissimilis huic κενοφωνίᾳ, Corpus humanum personaliter immortale est, & intelligentia præditum, quia est spiritui immortali & intelligenti vnitum.

IIII. De adoratione Christi, sic argumentatur Iacobus Andreas.

Lambertus Danæus scripsit: Quisquis non solum ad Diuinitatem, sed quoque ad Humanitatem Christi, etiam in ipsa vnione permanentem, tanquam ad obiectum, suam inuocationem & adorationem dirigit, eum ex ore Dei maledictum, blasphemum, idololatram, damnatum esse.

Ergo falsum est, quod ait Grynæus, sententia ipsorũ, nefarium esse dubitare de adoratione, sic de omnipotentia, veritate & omnipræsentia Christi.

Responsio.

Potest sanè vir clarissimus D. Lambertus Danæus, optimo iure cum Dauide, apud Dominum Iesum queri: Quotidie verba mea torquent: aduersum me sunt omnes cogitationes eorum ad nocendum. Psal. 56.

Quum enim neutiquam negasset vnquam, vel totũ Christum adorandum, vel etiam Carnem eius, gratia vnionis esse adorandam: sed de proprio adorationis obiecto egisset: ab hoc tamen infelice homine, absens inhumanissimè traducitur & exagitatur.

Satisfactum autem est huic Sophismati, abunde etiam ab aliјs: ac si saltem syllogisticè formetur, vanitatẽ suam prodit.

Quicunq;

Quicunq; ait proprium inuocationis obiectum esse Deitatem, is negat, Humanitatem à λόγῳ assumtam, gratia vnionis esse adorandam.

Atqui Danæus, & qui cum eo faciunt, aiunt, proprium inuocationis obiectum esse Deitatem. Iuxta dictum: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Matth. 4. 10. Ac non dubitant affirmare, Carnem propriam τοῦ λόγου, quæ propter vnionis gratiam adoratur, quatenus creatura est, adorandam alioquin non esse.

Ergo, inquit Iacobus Andreas, negant Christum adorandum esse.

In Maiore est petitio principij: & Conclusio plura habet quàm ferant præmissæ, quando Sophista à parte ad totum dilabitur: vt nemo non videt. Sic enim formanda erat Conclusio, Ergo negant Humanitatem, quatenus creatura est, & per se consideratur, esse adorandam: quam tamen eandem, quia τῷ λόγῳ vnita est, cum eodem esse adorandam, non negant.

Talibus autem mendacijs & strophis quum Iacobus Andreas pugnet, etsi nunc pijs insultat, tamen paulo pòst triste spectaculum erit iusti iudicij diuini.

III. De statu Controuersia.

I*Acobus Andreas, vt imperitis fucum faciat, nos qui ab eo dissentimus, inter se committit tali leptologemate.*

Grynæus ait controuersiam esse de sententia verborum Cœnæ Domini: Alij quibus tamen ille addictus est, contrà controuersiam esse de opinione Lutheri, contendunt.

Igitur pugnant inter sese.

Responsio.

PRæmitte Enthymemati Maiorem, & habebis carcinoma Sophismatis Iacobandrici.

Quicunque hactenus dicunt controuersiam esse de sententia verborum Cœnæ Dominicæ, vt in eo iam vertatur eius cardo, Lutheri ne opinio & interpretatio, an verò nostrarum Ecclesiarum sententia & interpretatio, verior sit, necne? illi inter sese dissentiunt.

An non perinde hic toti Ecclesiæ molestus homo, perinde loquitur, ac si dicat: De iustificatione contendentes cum Pontificiis, agnoscunt quæstionem in eo verti cardine, ipsorúmne, (qui fide, non operibus legis hominem iustificari contendunt, & quid exclusiuæ particulæ, SOLA, *sit tribuendum, quid non, collatis sententiis conferunt) an vero horum doctrina. S. scripturis magis sit consentanea. Igitur illi qui Pontificiis de iustificatione contradicunt, sunt inter sese de eodem capite discordes.*

Aliud eiusdem argumentum.

Grynæus fatetur Lutheranos retinere τὸ ῥητὸν in verbis Cœnæ.

Ergo vicerunt Lutherani.

Responsio.

SVprà respondi, καθ᾽ ὑπόθεσιν illud à me dici. Retinent sanè scriptum, perinde vt Catabaptistæ illa verba: Ne iuretis omninò, Matth. 5, 34.

Sed tu, ingeniosa iuuentus, hominem istum, qui in honore non perstitit, & similis factus est iumentis quæ nō intelligunt, redargue, Enthymema illius ad syllogismi leges reuocando.

De quibus ex illorum hypothesi dicitur, quòd scriptum

ptum in verbis Cœnæ retineāt, illi in caussa sacramentaria vicerunt.

At de vbiquitarijs istis, ea lege istud dicitur.

Ergo vicerunt. *Quid Iesuitas, quorum multi acumine & vsu in disputando pollent, dicere, quum talia Iacobi Andreæ argumenta, legunt, existimas?*

Blaterat autem idem. Et sic quoque tutissimi sumus, quum Christo veritatis & omnipotentiæ laudem tribuimus, vt qui non mentiatur, & tanquā omnipotens Deus præstare possit, quod verba eius apertè promittūt, vt maximè captum humani intellectus excedant.

Respondeo, cum Theodoreto: scriptura stolidè intellecta, non est scriptura.

At stolidè intelliguntur verba institutionis cœnæ Domini, quum detorquentur ad confirmandum commentum, de corpore Christi in pane latitante, et in os etiam infidelis hominis ingrediente: ac falsissimum est vtrumq; quod addis, & apertè tale aliquid promissum esse, & hoc commentum tuum excedere captum intellectus humani. Quid enim mysterij in eo sit, si dicas: In pane latens Christi corpus: in vino latentem sanguinem Christi, oraliter, sensualiter, & nescio quot modis aduerbialiter, percipi?

Quare non est cur de Scriptura glorieris, cui tu importas & affingis Capernaiticum & vbiquisticum tuum commentum: quod Deus magis ac magis reteget & confutabit.

IIII. De scripto verborum Cœnæ Dominicæ.

Dixi, fateor, scriptum in verbis Cœnæ Dominicæ, si seruetur, potius ad Transsubstantiationem papisticā, quam ad Consubstātiationem probandā facturum. Id ille sic oppugnat.

In ver-

In verbis cœnæ Dominicæ: Hoc est corpus meũ &c. prædicatio neque vsitata, neque figurata, sed inusitata & sacramentalis est.

Ergo scriptum in verbis Cœnæ Dominicæ non patrocinatur Transsubstantiationi.

Antecedens sic probat, miserabilis profectò homo, Quãdo panis de corpore Christi propter vnionem Sacramentalem, sicut homo de Deo, vel Deus de homine personaliter in Christo prædicantur.

Responsio.

Tv verò, docta piaq; iuuentus, quæ eiusmodi Sophismata legis, miserere eorum qui illa proferunt, hoc tam erudito seculo.

Ac primum quidem candidè proba, hæc duo, Primum, quòd in propositione. Hoc est corpus meum, pronomen demonstratiuum. HOC, *ad panem refertur: id quod malè eius Discipuli in Disputatione nostra publica, negauerunt: deindè, & illud, quòd prædicationem Sacramentalem esse, agnoscit. Non enim etiam ab Aduersario benè dicta, nobis sunt aspernanda.*

Spiritus autem vertiginis & erroris hæc documenta diligenter obserua, quòd tibi stolida hæc mendacia, perinde obtrudit, ac si essent mera oracula.

Prædicationem illam nec propriam seu vsitatam, nec figuratam: *quum hæc distinctio immediata sit, Omnis prædicatio vel propria est & vsitata, vel figurata: tertia nulla est. Posita autem Iacobandrensi illa hypothesi, sequitur nullam in illis Christi verbis prædicationem esse: Quod si Thomista aliquis dixisset, quos cachinnos ederet hic Censor noster, populi Dei suffragijs nondum creatus censor. Nec certè illud probari debet, quòd de Thoma Aquinatis scriptis ita temerè*

pronun-

pronunciat, quasi nihil admiratione & approbatione dignum in eius viri scriptis occurrat: ac proinde indocti Asini sint, quotquot eius viri scripta eo, quo par est, loco habent.

Sacramentales prædicationes, inusitatas esse. *O capitis helleboro indigentis, vocem insulsam? Mirum sanè est, homini tot modis Sacramentoso, inusitatas videri prædicationes sacramentales. Sed sic vlciscitur Deus veritatis odium.*

Probet prius Iacobandreas hæc sua portenta, quàm sibi polliceatur, eruditæ iuuentutis suffragium.

Nos verò, quum etiam aduersario teste, in verbis Christi: Hoc est Corpus meum, pronomen Hoc, subiectum, videlicet Panem dominicum denotet, ideò dicimus esse figuratam prædicationem, quia disparatum de disparato, corpus Christi de pane, non potest prædicari propriè. Rectè Augustinus, de doctr. Christ. lib. 3. cap. 16. Si præceptiua locutio est, aut flagitiũ aut facinus vetans, aut vtilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere. Figura est ergo præcipiens, passioni Domini esse cõmunicandum, suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro ipsius crucifixa atque vulnerata sit.

Quàm autem scelerate ineruditæ est probatio Antecedentis Iacobandreana? Si vt illius facultates ad triunces, ita quoque hoc illius mendacium ad syllogismi leges reuocabis, quàm sit putridum, purulentum & virulentum facilè deprehẽdes.

Qualis est prædicatio, Homo est Deus: & Deus est homo: talis est & hæc prædicatio, Panis est Corpus Christi, & econtrà.

Sed propter vnionem personalem Homo de Deo: & Deus de homine, prædicatur personaliter.

Ergo & propter vnionem Sacramentalem, de pane prædicatur corpus Christi: & econuerso.

Responsio.

IN Maiore est manifesta principij petitio, quando pro cōfessō sumit, quod est modis omnibus falsum, videlicet, eādem esse rationem prædicationum de Persona Christi duabus naturis constante: & de Eucharistia constante signo & signato, seu re terrena ac cœlesti: & huius salutari effectu.

Oppono itaq; hoc demonstratiuum argumentum, illius sophismati, specie differentibus vnionum formis, respondent & tota specie differentes prædicationum formulæ, quæ non possunt confundi.

Atqui specie differunt vnio Personalis, & vnio Sacramentalis.

Ergo earum prædicationes nullo modo promiscuè vsurpandæ sunt.

Quid aūt responsurus esset Iacobus Andreas, si quis illi prædicationes de Sacramentali & de Personali vnione, confundenti, obijciat hoc quoq; argumentum reducens ad absurdum.

Si quemadmodū de Homine (in propositionibus de Christo) prædicatur Deus; ita de pane Eucharistico prædicatur corpus Christi: tū sequitur, panis illius meliorē esse cōditionem, quàm omniū fideliū hominū, quibus non ita vnitur Christi corpus, vt idem quod de pane, iste garrit, dicatur de fidelibus.

At consequēs absurdū est. Igitur & antecedēs absurdū est.

Imponit autem & paralogismo secundum non caussam, vt caussam. Vera enim caussa propter quā Panis dicitur esse Christi corpus, hæc est, quia est Sacramentum corporis Christi. Sicut præclarè docuit Augustinus Epist. 23. Si Sacramenta quandam

quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent. Ex hac autē similitudine plerumq; etiam ipsarū rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est; Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita Sacramentum fidei, fides est.

Iacobus autem Andreas, fingit eam vnionem esse caussam prædicationis, quam sacramentalem quidem nuncupat: definire autem non audet, quia videt in respectu signi & significati esse positam: non autem in Corporis Christi impanatione. Etsi autem negat se impanationem, companationem & suppanationem statuere: id tamen ipsum quod sibi vocabula illa volunt, inculcat, quum affirmat IN *pane,* CVM *pane,* SVB *pane corpus Christi esse, & occultari: vt etiā cantu publico testātur.*

V. De Consubstantiatione negata.

S*Ic argumentatur Iacobus Andreas, vt, si possit, probet Consubstantiationem sese neutiquam astruere.*

Non statuunt Consubstantiationem, qui fatentur præsentiam corporis Christi non esse naturalem, sed supernaturalem, diuinam, cælestemq;: cuius modū sola fides intelligit.

At ego ista fateor. Nō igitur Cōsubstātiationē statuo.

Responsio.

A*D Maiorem, Non satisfaciunt pijs & veritatem amantibus, qui ex eodem ore calidum & frigidum proferunt, & sibiipsis tum maximè turpiter contradicunt, quum quod dextra dederunt, sinistra eripiunt.*

Ait Iac. Andreas, se præsentiā corporis Christi naturalē in pane Cœnæ nō statuere: & tamē pbat dicta Lutheri omnia, vt hoc in parua Confessione: Panis ille est naturale corpus Christi:

Ait naturaliter Corpus Christi non adesse: & interim docet sensualiter & oraliter illud edi? Non enim contra Berengarianam Palinodiam, à Luthero approbatam, vel hiscere audet. Quid autem hoc rei est? Dicere, sensualiter percipi ipsum verum & naturale Corpus Christi: & negare illud naturaliter adesse: dicere illud ore corporis percipi, dentibus teri: & negare illud naturaliter adesse. Dicere supernaturalem, diuinam & cælestem esse eius præsentiam: negare interim spiritualem esse: quasi spiritualis cum cælesti, diuina, supernaturali pugnet?

Quare autem, Episcopi Pontificij in Anglia docti certè homines, Marianis temporibus, in Disputationibus suis de Missa, cum nostris sæpenumerò habitis, vsi sunt vestris potissimū argumentis, si ea Consubstantiationi, seu præsentia pro corporis Christi ad locum panis, non suffragantur? Non decebat Theologum λογομαχεῖν, seu de verbis litigare. Quum fatearis In, cum, sub pane latitare corpus Christi (Lutheri verbum verborgen, *negare non potes) qua mente & fronte Consubstantiationem negare audes? Ea haud dubiè, qua optimo & innocentissimo cuiq; maledicere audes. Sed heus tu, non cui fit, sed qui facit conuicium miser est: vt Seneca ait.*

VI. De regia via in controuersia Eucharistica.

HAbet etiam hoc loco iuuentus, cæcitatis & mentiendi libidinis triste exemplum in miserrimo hoc homine, cuius argumentum satis fuerit recitasse.

Regiæ viæ insistunt, qui scriptum in verbis Cœnæ Domini retinent. Ratio. Quia vbique Deo credunt, etiamsi sensus & ratio reclament (*huic homini non constat de*

stat de sensibus exercitatis ad discretionem boni maliq́, Heb. 6.14. Nec de ratione à spiritu regenerante reformata & illuminata: nec nisi de non renato homine, nugatur) quæ fallere possunt (*hominem animalē, non spiritualem*) verba autem Christi fallere non possunt: *rectè nimirum intellecta, non stolidè, vt ij faciunt, qui Capernaitica & Vbiquistica figmenta, eis affingunt.*

Ego Iacobus Andreas retineo scriptum in verbis Cœnæ. *Scilicet ita vt Lutheri synecdochen non interim neges: & vt propositionem, Hoc est corpus meum, &c. declares, bellis similibus tuis, Quum infans in cunis iacens matri lactandus exhibetur, En (dicitur) tibi infantem. Et quum vinum in cantharo porrigitur: En tibi vinum, dici consueuit.*

Quare regiæ viæ insisto: non autem pars altera. *Tribuit autem nobis hoc loco, Iacobus Andreas quòd & Transsubstantiationem Pontificiam probemus: quam nostri constantissimè refutant: & peculiarem errorem de significatione & repræsentatione duntaxat corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, profiteamur. Apparet autem illi accidisse id quod versus monet:*

Impedit ira animum ne possit cernere verum.

VII. Calumniosæ interpretationes.

SIc autem, vt multas calumniosas, rectè à me dictorum, interpretationes, vno fasce complectar, postea argumentatur.

Nos, primùm nullam physicam & localem præsentiam docemus: sed in mysterio corpus Christi verè & realiter adesse, asserimus: deindè, nos non idolum percipimus: sed dicimus id nobis dari IN PANE, quod pependit in cruce, videlicet, corpus Christi, quod ne-

quaquam idolũ, sed pretiũ redemtionis nostræ est: denique, sacramentis vim iustificandi non tribuimus.

Ergo fit nobis iniuria, quum dicimur, Christũ mundi elementis affigere, sacramenta transformare in Idola, & eisdem vim iustificandi tribuere.

Responsio.

CONscius ipse sibi de se putat omnia dici. *Quod à me in genere dictum est, id iste sub quouis lapide scorpium quærens, calumniosè de se sibiq; addictis, interpretatur.*

Quam aũt diabolica hæc deprauatio est, quòd quũ ipse dixerim, quosdam Sacramenta in totidem idola conuertere (id quod plebs ignara veri vsus sacramentorũ facit, quãdo verbi & Baptismi minimam habet rationem, resipiscentiæ multò minorem, & tamen Paschatis tempore, aut quũ moriendũ videtur, non aliter ad Eucharistiam confugit, quàm olim Israëlitæ à Philistæis cæsi tempore Eli, ad Arcam fœderis: & quidã etiam pastores minus periti doctrinæ de legitimo cœnæ Dominicæ vsu.) Id Iac. Andreas sic interpretatur, ac si dixissem, In Cœna sancta, Idolum nobis dari. Iudicet Deus inter me & te Iacobe Andrea: qui vt iam de illo nihil amplius dicam, saltem illud cogitare debebas, in eadẽ pagina sic te loqui, vt quid dicas ipsemet non intelligere, videaris. Quid enim? An hæc tibi pulcrè quadrare & secum ipsa consentire, videntur, Corpus Christi adest in mysterio: adest realiter: adest in pane? Scio te homonymijs vocabulorum ludere posse: sed profectò decebat te longè aliter loqui audiente Ecclesia Dei.

Sic aũt negas Sacramentis te vim iustificandi, adscribere: vt tamen postea eius dicti pœnitentia ductus, hactenus ea iustificare contendas, quatenus illis salus accepta fertur. Sed non ignoras, instrumẽtalibus caußis interdũ id tribui, quod alioquin proprium est caussæ efficientis principalis. Solus Christus

nos

nos saluos facit à peccatis nostris, Matth. 1. 21. Deus nos seruat ex sua misericordia per lauacrũ regenerationis, & renouationem spiritus sancti, hoc est, quã spiritus sanctus efficit. Tit. 3. 5. Sed meminisse te decet eius, quod Petrus dixit : Baptismus nos seruat, nõ quo carnis sordes abijciũtur, sed quo fit vt bona conscientia Deum interroget. *1. Pet. 3. 21. Fortassis excandesces vbi hæc legeris, & memorẽ me monere dices. Sed si tibi collibuit mea dicta sinistrè interpretari, ius fasq́ mihi erit, quid piè sentiam iuuentuti indicare. Ego de baptismo literæ, quo ceu Idolo multi pseudochristiani nituntur, vt & de Eucharistia literæ, cum Paulo pronuncio in hanc sententiam: In Christo Iesu neq́ circumcisio quicquã valet, neq́ Præputium: sed fides per charitatem agens. Baptismum autem & Eucharistiam spiritus, nego esse idolum, fateorq́ augustissima esse sacramenta, iustitiæ fidei sigilla, quibus ipsius Christi communio in nobis & augetur & confirmatur.*

VIII. Catabaptistarum anne eadem, quæ nostra de Cœna Domini, sententia.

QVid autem in mentem venire viris prudentibus, Iacobe Andrea, existimas, quum te affirmare audiunt, Catabaptistarum & nostram de Cœna Domini eandem esse opinionem: & quidem tali argumento subnixum.

Credendum est vera omnia dixisse Catabaptistas, in Colloquio Franckenthaliano, cum Palatinatus Electoralis Theologis pridem habito.

Atqui Catabaptistæ tum professi sunt, eandem esse suam, & nostram de Cœna Domini sententiam.

Credendum igitur id est: & per consequens, credendum est, non minus nostros quàm Anabaptistas, nuda symbola absentis Christi, statuere.

Respon-

Responsio.

SI Anabaptistis aliquid affirmantibus, fides habenda est, tū verò maxima pars tuæ Theologiæ, Iacobe Andrea, tuaq́; tum fidei tum existimationis periclitatur. Sed tu tuos nectis corymbos.

Calumniam de nudis Symbolis, vlciscetur Christus Iesus, iustus iudex: qui nouit qua conscientia pugnes aduersum nos: qui in sacræ Cœnæ legitimo vsu, non minus, sed multò magis, pro nobis traditi corporis Christi, proq́; nobis fusi sanguinis Christi, nos magis magisq́; participes fieri credemus, quàm panis viniq́; dominici. Sed benè habet, quòd etiam Tubingæ non desunt, qui quum te publicè, summa cum confidentia nostris aliquid affingentem audierunt, postea inspectis nostrorum hominum libris, mentitum te esse deprehenderunt. O miserum mancipium, cui hoc euenit toties? & cui etiam iuranti per salutem animæ tuæ (accepimus tibi homini Christiano istud solemne esse) nemo cordatus facilè habeat fidem.

IX. De Metonymia in verbis Cœnæ.

QVum corui luscinijs honoratiores tibi sint: ob id, opinor, quòd simile simili amicum, scurriliter cum tuis quibusdam gregalibus, irrides Metonymiam: sed certè ipse teipsum irrides & irridendum propinas, quando ita argumentaris Enthymematicè.

Nemo fidelium sibi vnquam persuaderi patietur, Christum in tanto mysterio & testamento suo, figura grammatica ludere voluisse.

Ergo non est Metonymia in verbis Cœnæ: Hoc est corpus meum, &c. *Et, per Iacobandricum consequens*, errauit Augustinus quando scripsit: Possum etiam interpretari

pretari præceptum illud in ſigno eſſe poſitum. Non enim Dominus dubitauit dicere: Hoc eſt corpus meũ, quum daret ſignum corporis. *Contra Adimantum, cap.12.*

Reſponſio.

NEc tibi, homo facetiſsime, quiſquam ſanus, ita paralogizanti ſurrexerit, & Carneadeum acumen tibi facilè tribuerit: quando hæc tua ſapientiſsima Maior eſt, digna quæ cedro minioq́ notetur.

Quicunq́ figura grammatica, verbi gratia Metonymia vtitur, is enimuerò ludere vult. Hanc tuam Maiorem proba prius quàm ab alijs rectè dicta irrideas.

Stolidum autem tuum commentum eſt, quòd ais: Nomen tantùm corporis *(opinione quam ſycophanticè mihi affingis)* cum pane percipi. *Neq́ verò mihi vel querela vel defenſione aliqua opus eſt, quando tibi placuit, capita Diſputationis meæ, tuæ inſerere Confuſioni potius quam Confutationi. Ex illis enim pius Lector deprehendet, te ſine mente & fronte, commentum tuum mihi affingere. Sine mēte quidem, quia non vides illud confutatum eſſe tot locis meæ Diſputationis: ſine fronte, quia audacter admentiris, etiamſi nemo fidem ſit habiturus: nemo inquam bonus & prudens.*

X. De rei ſignatæ participatione.

FVrenter negat Iacobus Andreas, me & alios pios agnoſcere, veram rei ſignatæ participationem, in vſu S. Cœnæ: & ita argumentatur.

Qui non credit IN, CVM, SVB pane Corpus Chriſti in cœna exhiberi & diſtribui, is negat veram rei ſignatæ participationem in legitimo vſu Cœnæ Domini.

Atqui pars altera non credit IN, CVM, SVB PANE Corpus Christi, exhiberi & distribui.

Negat igitur veram rei signatæ participationem, in vsu Cœnæ Dominicæ.

Responsio.

IN Maiore est planè Iacobandrica petitio principij. Itaque eam negamus.

De Minore hoc dicimus. Quum Dominus Iesus de pane dixerit: Hoc est corpus meum, quis miretur nos negare In, cum, sub pane inuisibile Christi corpus latitare: quod vos vultis?

Si tamen Syncategorema CVM *ad tempus, quo Cœna vtuntur fideles referas (cum Augustana Confessione) sic vt sit sententia: Quando homo fidelis Cœna vtens, edit panem Domini, vinumq́ Domini bibit: non terrenorum tantùm illorum donorum, sed etiam cælestium, videlicet Corporis Christi, & sanguinis eiusdem particeps fit, tum verò illud neutiquam improbamus. At si quis illud vnà cum cæteris duobus, referat ad statuēdam inuisibilis corporis Christi præsentiam in, cum, sub pane: meritò consubstantiationem istam reprehendemus. Sed mirum sanè est istum Aristarchum non videre quam insulsa sit promiscua vsurpatio trium istorum syncategorematum* IN, CVM, SVB. *Quod sub aliquo est, non in eo est: quod in aliquo est, non sub eo est. Vt sub circumcisione præputij, non fuit cordis circumcisio: nec hæc in illa: sed relatiuè illæ sibi respondebant.*

XI. De Infidelium manducatione.

HOc verò loco, Iacobus Andreas, aureis & inuictis demonstrationibus, ficulnea sua opponit sophismata.

Ego sic, pro tuenda fideliū mãducatione, argumētatus sum. Simpliciter impoßibile est, non viuificare eos, qui manducant

cant Christi carnem, & bibunt eius sanguinem: sicut etiam simpliciter impossibile est, viuificari eos, qui non manducant Christi carnem: nec bibunt eius sanguinem.

Atqui nemo fidelium non viuificatur: contrà nemo infidelium, viuificatur.

Quare certissimum est, fideles quidem, manducare Christi carnem: infideles autem eandem non manducare.

Probatur autem nobis Augustini dictum, de ciuitate Dei, lib.21.cap.25. Non dicendum est eum manducare Christi corpus, qui in corpore non est Christi. *Item,* Nec isti ergo dicendi sunt manducare corpus Christi, quoniam nec in membris computandi sunt Christi. *Vt enim alia taceã, non possunt simul esse & membra Christi, & membra meretricis. Deniq; ipse dicens: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo, ostendit quid sit non sacramento tenus, sed reuera, corpus Christi manducare, & sanguinem eius bibere. Hoc est enim in Christo manere, vt in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixit, tanquam diceret: Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat, aut existimet, manducare corpus meum, aut bibere sanguinem meum.*

Econtra Iacobus Andreas, quasi patrocinium infidelium & hypocritarum suscepisset, ita argumentatur.

Non soli fideles, sed etiam infideles & hypocritæ mali (*fortassis Iacobus Andreas, bonos quosdam hypocritas agnoscit: quod cum satyrica, illius, iudicio hypocritarum, reprehensione non admodum conuenit*) Corporis Christi in sacra Cœna participes fiunt.

Errat ergo Grynæus, quum solos fideles, corporis & & sanguinis Christi participes esse, & magis magisque communione eorundem in legitimo vsu Cœnæ Dominicæ, frui, affirmat.

Antecedens probare conatur Iacobus Andreas, hoc pacto.
Paulus Apostolus, *ait*, apertè testatur non solum fideles, sed etiam indignos & impœnitentes participes fieri corporis & sanguinis Christi: non autem ad viuificationem, sed ad iudicium: quos in vsu huius Sacramenti, reos fieri dicit corporis & sanguinis Christi: quia non diiudicent corpus Domini. Non ait, quia non dijudicant hunc panem ab alio pane: sed non dijudicant corpus Domini.

Responsio.

Misereatur tui Deus, Iacobe Andrea, qui quum aliorum doctor esse velis, in meridiana luce ita cæcutis, vt nescias quid affirmes. Sic haud dubiè vlciscitur iustus iudex Deus noster: tuam insolentiam.

Negamus Paulum vsquam affirmare impœnitentes seu infideles corpus Christi mãducare. De ijs autem loquitur, qui à Domino castigantur, ne cum hoc mundo pereant: id quod de infidelibus dici nequit, qui certè pereunt, quum in infidelitate sua perseuerant. 1. Cor. 11. 32. Marc. 16. 16.

Panem manducare; & poculum Domini indignè quosdam bibere ait: eodem cap. v. 27. Quum autem de pane illo neges metonymicè prædicari corpus Christi: qua fronte nunc affirmas, illos corpus manducare & sanguinem bibere: quos Paulus Panem edere, & è poculo bibere affirmat: Viden' quam probè tibi constes?

Nunquam autem in æternum probabis, corpus & sanguinem Christi, ratione participationis, vlli vnquam ad iudiciũ cessisse & cedere potuisse, quum id priuationis, contemtus, & contumeliosi abusus Sacramentorum, respectu dicatur. Non enim participati corporis & sanguinis Christi, contrarij sunt effectus. Et stabit in æternum hoc Theorema: vis viuificandi

à com-

à communione corporis Christi, separari nequit.

Quam insulsum autem est, quod in vsu Sacramenti aliquem reum fieri, tam indoctè affirmas: quum non nisi abusus reos efficiat?

Tibi ipsi autem fœdè contradicis, quando, primum hoc dicis, istos reos fieri manducati corporis Christi: postea, cum Paulo, vi veritatis adactus, fateris, reos fieri, quia non dijudicent corpus Christi. Rei enim fiunt. Sacramentis corporis & sanguinis Christi abutentes, non manducati corporis Christi, sed non dijudicati caussa. 1. Cor. 11. 29.

De Calumniis & Mendaciis Iacobi Andreæ.

ETsi sentinam calumniarum Iacobi Andreæ, exhaurire nemo facilè possit, & tempus, cuius πολυτελέστατον ἀνάλωμα, sumtus pretiosissimus est, melius nobis est collocãdum: tamen aliquas illius calumnias breuiter attingam: & de ijs, iudicium prudenti lectori relinquam.

1. Quam putidum est mendacium, quòd fingit Ecclesiasticam & eruditam Antiquitatem, nobiscum bis per omnia pugnare: secum autem facere? Si cum ipso ea facit, cur tam cõtumeliosè sæpenumerò eam insectatus, & fidem eidem derogare conatus est? Sed dicam tibi pie Lector, id quod memini doctissimum quẽdam virum, qui Iacobandricas allegationes dictorum Patrum, cum suis locis contulit cum iudicio, mihi nuper narrare. Aiebat sese deprehendisse, pessima fide Patrum dicta, non citra compositionis & diuisionis fallaciam, ab eo adducta: ac sibi commentarium ea de re, continentem, integra Patrum dicta, & mutila Iacobi Andreæ dicta, è regione posita, vt vanitas eius manifestè possit conspici. Fui autem illi auctor vt eum iuris publici faceret. Quum autem pauci ex parte al-

tera legãt Patrum ſcripta, facilè eſt Iacobo Andreæ dicere. Patres ſecum facere: vt facilè illi ſimillimo Turniſero eſt, aliquid de America aut Aethyopia comminiſci, & rerum, locorumq; ignaris recitare.

2. Calumniatur homo, à gratijs alieniſsimus, quòd Muſarũ & Charitũ nomina aſperſi meis pagellis, quaſi qui numina eſſe opiner. Ego verò, per Dei gratiam noui vnum eſſe verum Deum, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum: Muſas & Charites, voco doctrinam & humanitatem: ac certè tibi vitio nõ verto, quòd ſecundum diem ſeptimanæ Martis: Mercurij tertium: Iouis quartum: Veneris quintum appellas: etſi mihi perſuadeo non te illa agnoſcere Ethnica numina.

3. Rationem rectam quidni, etiam te inuito, radium diuinæ lucis, quam in natura humana Deus etiam poſt lapſum primorum parentum, reliquam eſſe voluit, appellem? Nunc nam, Iacobe Andrea à principe tenebrarum tibi videtur lux illa in hominum natura accenſa? Ego Deum veritatis auctorem eſſe credo: non Satanam: Paulus autem illam lucem, quæ reliqua eſt, veritatem vocat; & id maximè vitio vertit Ethnicis, quòd veritatem in mendacio detinuerunt. Fateberis ne vnquam, naturæ lucem & gratiæ lucem diſtincta Dei dona eſſe? Sed (vt ineruditè ſoles confundere tenebras cũ luce) animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt, ais: & inde colligis, nullam eſſe lucem rationis in natura hominum. Quid ſibi hæc tua Chymera vult? Ratio humana annon cæca eſt in ijs: quæ ſunt fidei & ſpei: non autem planè cæca in ijs quæ phyſica, moralia, politica ſunt? Quem vſum haberet opus legis ſcriptum in cordibus hominum, ſi diuinæ lucis radio, humana ratio non eſſet illuſtrata aliquo ſaltem modo? Reſpectu myſterij de Chriſto, non autem ſimpliciter, ait Paulus, cogitationem eſſe obſcuratam & abalienatam à vita Dei propter ignorantiam. Epheſ. 4. 18. Quicquid etiam in vera Philoſo-

Philosophia, in Arte Medica, in Legibus, ab Ethnicis hominibus, verum salutare, iustumq́; est, id certè Deo illumināti luce naturæ omnem hominem venientem in hunc mundum, acceptū ferri debet: quia is auctor est omnis boni in natura. Quod si Deum negabis lucis & veritatis illius auctorem esse: Satanam auctorem esse, velis nolis, fateri cogeris: quod quam sit absurdum, nemo non videt.

Oppono autem tuo Sardonio risui, quo Philosophiam prosequeris, istud Augustini dictum: Si qua vera Philosophi dixerunt, ab eis sunt, tāquam ab iniustis possessoribus, vendicanda in vsum nostrum. *De doctr. Christ. lib. 2. Non ait contemnenda & deridenda sunt.*

4. *Ais malæ conscientiæ signū esse, quòd dixi: neminē me prouocare: charitate nō cōuitijs me certare paratū: cū absentibus charta dentata agere, mihi nec animū esse, nec ociū. Quid viros sapientes & modestos, Iacobe Andrea, pronunciaturos iudicas, vbi hæc mihi abs te vitio dari, cognouerint: vbi te inde malæ cōscientiæ notā mihi inurere conatū fuisse viderint? Dicā quod res est. Nō patiar me, polemicorū scriptorū tuorum intēperie, auocari ab ordinarijs meis exercitijs docēdi et orandi pro pace ecclesiæ. Alienus quinetiā sum ab illo tuo furioso & maledico scribendi genere: in quo nemo nō tibi primas defert.*

Optimæ meæ conscientiæ in Christi negocio, hoc habeto testimonium: Si quid desiderabis, in doctrina quam profiteor, per literas me admone, de colloquio coram honestis & doctis arbitris, etiam politicis (quorum video maiorem modestiam, prudentiam & doctrinam esse, quam quorundam Theologorum) instituendo. Paratus sum, seu Basileæ, seu Heydelbergæ, coràm, vel tibi satisfacere per Christi gratiam, vel veriora dicenti, credere & palmam porrigere. Qui sibi malè conscius est mauult absens, charta dentata agere: vt tu, nullo cum successu, & cum æterno tuo dedecore, facis:

At,

At, qui sibi benè conscius est, conspectum Aduersarij, neutiquã reformidat: id quod me tibi deferre iam vides. Certè te decet corã potius colloqui: quã absenti fanda & nefanda, affingere.

5. De Disputatione autem à me habita, Christi gratia, & Illustriss. Principis mandatu, omnes partis alterius fabellas, tanquam oracula amplecteris. Ea verò & antequam incoata esset, & quum haberi cæpisset, & quum iam esset habita, quàm multa & contumeliosa dicta & scripta, ab ijs qui tecum faciunt, sparsa fuerunt in vulgus? Sed benè habet, quòd nullum veterascit mendacium: & quòd hæc spiritum produnt.

De Gente mea, de valetudine, de voce, de corporis habitu, quæ dicta sint nihil attinet, pluribus repetere. Hoc tantũ monebo, inter infestos homines, mihi laborãdum fuisse, ne incredibilis illorum importunitas, mihi vocem, gestúmue, impatientiæ indicem, exprimeret. Nec me pœnitet, propositi de perpetua moderatione. Illud maximè mihi doluit, quod illustri cuidam viro, literatorum hominum Mecœnati, Epistola rabiosè maledica, cum subscriptione nominis mei, noctu in ædes proiecta est, continens exprobrationem honestißimi postulati: & quòd multi alij heroici homines iniurijs sunt affecti à meis aduersarijs.

Putidum autem mendacium est, quòd quidam fingunt, quosdam quum interfuissent nostræ disputationi, quòd caussæ non satisfieri animaduerterent, abiecta nostra sententia, in partes aduersariorum concessisse. Contrarium enim verum esse, testimonijs fide dignorum hominum, probari potest: qui affirmant alios quidem è nostris confirmatos in pia sententia: alios autem quum aduersæ parti antehac addicti fuissent, inuitatos fuisse ad amplectendam piam nostram doctrinam. Vt autem demus (de quo tamen nihil constat) quosdam instabiles homines, deflexisse ad partes aduersariorum: Num etiam omnes qui Paulum, immò qui Christum docentem audiuerũt,

amplexi sunt Euangelium Christi? Equidem sementem piæ doctrinæ me tum fecisse lætor.

Fateor autem duos hos fines propositos fuisse nostris Antagonistis; alter erat, vt nos magnis afficerent contumelijs: alter autem, vt victores abijsse imperitis viderentur. Priorem ita assequuti sunt, vt mihi orandus sit Deus vt ipsis quidem ignoscat, à me autem auferat opprobrium et contemtum: Posteriorem, certa lege & omine consequuti sunt: Superiores enim fuerunt, quomodo ipse nunquam superior esse cupiam. Vicerunt enim, multi vnum, sed Paralogismis, solœcismis, Pasquillis, barbarismis, conuicijs, dicacitate, reprehensione viuorum quorundam & mortuorum insectatione, longis logis, quæ illi ex scriptis suis recitabant: vicerunt, iudice applausorum quorundam nobis infestorum, turba. Sed & illustrißimi Principis, & sapientißimorum D. Consiliariorum, & aliorum honestorum hominum iudicio, modestè veritas à me, & exposita & demonstrata fuit. Itaq; Antagonistæ mei, nunquam non reuocabant cordatis arbitris, in memoriam id, quod monet istud Bernardi dictum: Non recti planè, sed peruersi animi est, quærere gloriam, & non exercere virtutem: & velle coronari, qui non legitimè certârit. Iunioribus ignosci nonnihil poterat, sed quum ipsorum magistri, nec meliora, doctioráue adducerent: nec maiore modestia vterentur, quàm illi: lugenda profecto vtrorumq; infirmitas, mihi videbatur.

Actum autem egit Iacobus Andreas, etiam in medijs suis occupationibus, si me, quem tot modis victum & confectum esse credit; sibi quoque libro tam maledico, vt maledictiorem totos iam quadraginta annos non prodijsse, nemo non videat, confodiendum censuerit Mauortius heros, qui, vt cũ Bernardo loquar, pacem contemnens, & gloriam appetẽs, pacem perdidit & gloriam. Scio enim futurum multi præstantes viri, vbi vel gustum, istius viri scriptorum, nuper in me contorto-

rũ perceperint, execrabilia ea esse, iudicaturos: & liberale iudicium de me retenturos. Habet enim, vt ait Cicero, quẽdam aculeum contumelia, quem pati prudentes ac boni viri difficillimè possunt. Quo autem meliores sunt, eo magis eis dolet, si quem aliũ quoque immeritò, contumelia affici, animaduertant.

Hæc quum, pro vt dedit Dominus, scripsissem, ecce affertur aliud Iacobi Andreæ scriptum, aduersus Orationem meam, in qua tamen fideliter exposui, quid in nostra Disputatione ab vtraque parte actum sit, ab eodem euulgatum. Video autem nihil proficere hominem, & amentiam illius magis magisq́ notam fieri omnibus hominibus. Scrutatur ille quidem iniquitates: perficit scrutinium scrutatum, & intimum cuiusq; & cor profundum. At ego non dubito paulò pòst & ipsum & alios, qui ita hostiliter nos insectantur, sensuros vindicis Dei manum. Iaculabitur eos Deus sagitta; repentinæ erunt plagæ eorum, Et impingere facient super seipsos linguam suam: & trepidabunt omnes videntes. Psal. 64.6.7.8.

Zuuinglianum me vocat, qui in Christi Iesu nomine baptizatus, illud solum ex animo adoro. Habes hîc, pie lector, triste exemplum cõtemtus oraculi diuini: Num dispertitus est Christus: num Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? 1. Cor. 1. 13. Christianus certè ego sum à Christo Iesu denominandus: qui sanctorum omnium caput est: non à membro. Amara autem inuidia Iacobi Andreæ, nomen, quod odiosum apud imperitos, ipsius & similium dicacitas fecit, si mihi aspergat, scio mihi & apud Deum & apud cordatos homines, nõ magis præiudicio fore, quàm si me Huldrichianum vocet Iacobus Andreas.

Annon autem pijs omnibus detestabilis esse debet audacia, Iacobi Andreæ, qua motus, neq; Illustrißimi nostri Principis, neq; sapientißimi Senatus Basiliensis, eam quam oportet ratio-

rationem habet: sed eos strenuè imitatur, de quibus Petrus Apostolus, ita pronunciauit: Carnem sequentes, in impura cupiditate incedunt, & dominatum despiciunt: audaces & sibi placentes, non horrent dignitates conuicijs incessere? *2. Petr. 2. 10. Scilicet Magistratuũ istorũ erat, nihil incõsulto Iacobo Andrea, seu de Religione, seu de meo ministerio, constituere?*

Ait suum esse, quum & de victoria falsò gloriatus sim, & multa falsò scilicet dixerim in mea synopsi, Lectorem de re tota monere. Atqui nec ipse Iacobus Andreas, quicquam habet, nisi quod pars altera, nobis minimè æqua, ei retulit: nec mihi deest senatus illustriss. Principis consultum de ijs, quæ Deus per me tum præstitit; quod certè omnium hostium coniunctis opponi potest: nec deniq; Iacobi Andreæ est, de ijs, quibus coram non interfuit, ac de quibus minimè cõsultus fuit, ita pronunciare, ac si Papam eum agnosceremus.

Vanitatis autem vllius doctrinam nostram conuictam esse, quum gloriatur: annon encomium ante victoriam ipsemet canit?

Iussus à superioribus, edidi Orationem: quæ apud bonos, etiam inuito Iacobo Andrea, abundè magno documento mihi est & erit, nequaquã ita turpiter me dedidisse: nisi fortè is sese turpiter dare censendus est, qui placidè tuetur veritatem.

Conscientiam meam Christus iudicabit: non tute Iacobe Andrea. Neq; verò malæ conscientiæ signum est, si quis cum mordacissimis hominibus & infestissimis, sæpè congressus, fateatur se tot telis potuisse tandem obtundi. Sed hoc malæ conscientiæ certum est signum, mentiri, calumniari: id quod tu quidem Iacobe Andrea, diu iam fecisti: toto Christiano orbe teste.

Respondenti autem, Marco Beumlero, tu neq; in publica Disputatione Tubingensi coram respondendo: nec hactenus

eius Analysi tuarum Thesium de adoratione Carnis Christi scripto, satisfacere potuisti. Ideò non certè est, cur tam iuueniliter nobis insultes: & per imprudentiam, quo minus à nobis in Disputatione Heydelbergensi præstitum nugaris: tantò magis, & eorum qui nobiscum contulerunt, & tuos conatus, eleues. Quàm turpiter autem ipsemet te dederis in multis Disputationibus, quàm scurriles etiam tui cachinni in publicis congreßibus sæpè fuerunt, notum est toti Germaniæ. Si risus in Ecclesia diaboli opus est: vt Chrysostomus prudenter dixit: quo loco tui cachinni, in Theologicis disputationibus, sint habendi, non certè obscurum est.

Grauißimam autem D. Cancellarij, viri amplißimi, orationem, quam quum ipse perorassem, nomine Principis illustrißimi, præsente eius Celsitudine, habuit: cuius etiam sententia nuper inserta est, Actorum cõmemorationi: Pasquillo, quo te niti video, oppono: contentus quod res ipsa loquitur, quod fuerit & sit nostræ partis hominum, de qualicunque mea opera, iudicium. Malo sanè cum Paulo, in infirmitate mea gloriari: vt virtus Christi in me inhabitet: quàm tecum in carne, gloriari: nec dubito etiamnum prouocare ad iudicia eorũ, qui adfuerunt, cum iudicio omnia audiuerunt. Tibi autem libenter relinquam pedaneos tuos applausores. Sed, vt quod res loquar, vt olim, Demostheni dicenti: Occident te, ô Phocion, Athenienses, si cæperint insanire: &, te, respondit Phocion, vbi sapere cæperint: ita tu quidem Iacobe Andrea, perinde agis & pronuncias, ac si de iuuentute ignara nostræ doctrinæ diceres, irridebunt te Grynæe iuuenes isti, vbi feruere cæperint: ego verò, tibi respõdeo, & te Iacobe Andrea, vbi deferuere, & melioribus curis locum dare cæperint, irridebunt & execrabuntur, cum tua matæologia vbiquistica.

Coccysmos autem alteri parti vrgendos fuisse, non immeritò aut Iacobus Andreas: ne videlicet sibiipsi desit, nunquam

non coccyZans : ac persimilis ei, qui in profundo luto iacens, vociferabatur : Noch ligt er nicht. *Quod autem gloriatur de victo à se, Marco Beumlero, in disputatione Tubingensi, quæ antè biennium habita fuit, id homini tum pio tum erudito, facilimum erit diluere. Quod autem is præstare per Dei gratiam poßit, testatur eius Analysis disputationis Iacobandreanæ, de adoratione religiosa carnis Christi, ad quam Iacobus Andreas, vt & ad alios non potuit nec poterit vnquam solidè respondere. Testantur etiam & alia eiusdem Beumleri scripta erudita & modesta, quæ certè luminibus insulsorum Iacobi Andreæ scriptorum non parum officiunt.*

Gloriatur Iacobus Andreas se in disputatione VVitebergensi, anno 1580. habita, quosdam prius nostræ sententiæ addictos, in suam adduxisse opinionem. Atqui fide digni homines diuersum planè narrare solent: ac memini quosdam referre ex scripto tum prælectam fuisse nostrorum hominum, de communicatione idiomatum sententiam, quam ipse quoque publicè probârit. Sed de ea re ij, qui interfuerunt, testabuntur.

Quod ait, quosdam vbi nostræ disputationi interfuissent, abiecisse nostram sententiam, & me eius rei conscium fingit, notorium est mendacium. Immò, Iacobe Andrea, honesti quidam homines, confirmati sunt in pia nostra doctrina, & alij quidam eam se amplexos esse & ex animo probare communi nobiscum vsu Cœnæ Dominicæ sunt testati. Spero etiam nonnullos alios, Deo illos magis magisq́ illuminante, sese nobis esse adiuncturos. Ac certè annis iam aliquot vidi, ingeniosam iuuentutem, frustrà à vobis reuocari, ad implicitæ vestræ fidei, seruilem conditionem.

Omnibus autem tuis, Iacobe Andrea, mendacijs, de fiducia ingenij & facūdiæ, de moderatione mea, de spe frustrata: oppono grauißimum iudicium Magistratus & Ministrorū nostræ

Ecclesiæ, quod ex Actis desumptum publicis, testatur quid à me & quomodo præstitum sit. Me enim non decet ita gloriari, sicut tu soles in carne stolidè profectò gloriari. Satis autem mihi est, quòd bonis & sapientibus non displicuerunt ea quæ tum dixi tum præstiti: licet ea tibi tuisq; parum probentur. Valde autem miror te vsque adeò & iuueniliter gloriari, & de ijs, quibus non interfuisti, confidenter pronunciare. Verum iampridem os tuum in cœlum posuisti, & lingua tua perambulante terram, maledixisti optimo cuiq;: & primatum quendam tibi sumsisti, cuius gratia meritò à Collega tuo reprehensus es per Epistolam verè scriptam.

Vitio mihi dat, quòd eos, qui à nobis in doctrina Eucharistica dissident, Conseruos vocaui: & profani in Religione animi indicium id esse contendit. Quid hîc aliud dicam, quàm Christi nos esse seruos, neminem in quo aliquid Christi sit, à communi famulitio excludere? Clamat Cicero, neminẽ omninò negligendum, in quo aliqua virtutis significatio apparet. Quid igitur Pietatem, Iacobe Andrea, clamare censes, de ijs in quibus aliquid Christi esse, vt Bucerus aliquando dixit, iudicamus? Neq; enim ita sumus affecti, vt quidam ex discipulis Iacobi Andreæ, qui non dubitauit, furiosam hanc vocem proferre: Se ne quidem cœlum ingredi velle: si in eo è nostris aliquem versari sciat.

Sacro silentio me vti velle, fateor: sed ea lege ne veritati desim. Dixi suprà, paratum me tecum coràm, sed non sine arbitris politicis & ecclesiasticis, conferre. Nam quam varius & vanus, quam etiam malitiosus alienorum dictorum interpres sis, tota iam nouit Germania.

Vocat me Iacobus Andreas, alienarum rerum inspectorem: negat me legitimè vocatum accessisse: mentitur de iuniore Principe inhumaniter compulso vt nostrorum Concionibus interesset: tribuit mihi vanæ gloriæ studiũ: ait è tabula prius

euulga-

euulgata Disputationem meam desumtam esse, & inde colligit, prius diu multumq; meditata hæc omnia fuisse.

Quid hîc aliud dicã, pie Lector, quàm me & alios honestos & pios viros, paratos gloriari in contumelijs, quibus Christi causa afficimur? Seruile est ad omnia conuicia respondere: omnia despicere stultum: vt censuit Plutarchus.

Quam verò turpiter se dat Iacobus Andreas, quando ait, nos ad λόγον restringere institutionem Cœnæ Domini, me cõsensum cum altera parte simulare, & cum ea loqui, quasi melius loquatur quam spiritus sanctus, quẽ dicendi magistrum, sequi malumus: quum omnia ista falsò dici & viua voce & scriptis toties simus testati.

De hypocrisi & doctoratu, quæ aspersit ea cordati homines iudicabunt vellem mihi iuueni, modestè petenti testimonium Academicum: denegatum illud tum fuisse, quando post vicesimum annum mihi ita odiosè obijcitur. Scio me hominem infirmum esse, magnisq; indignum titulis: ac libenter Gregorij hoc dictum repeto: Patienter illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit, quod fortasse adhuc ex se habeat, in quo ipse debeat tolerari.

Si persuasum habet Iacobus Andreas, me non intelligere, quòd totum Christi, totum Christum, significet: item, quòd humanitas Christi vbique sit non in seipsa, sed in alio; cur ita sæuit? Cur non alienæ imperitiæ, eam quam oportet rationem habet? Cur non alijs pugnat argumentis? Cur deniq; aduersæ partis argumenta, à nobis confutata, sicco præterit pede?

Sed Dei beneficio noui, sicut TOTVM Christi, vtramq; significat naturam, eoq; totam connotat personam, sic rursus TOTVM CHRISTVM non esse idem, quod TOTVM Christi: quando, secundum regulam Ecclesiasticam ex Apostolicis scriptis desumtã, & à Patribus obseruatam, & à Damasceno

fideliter

fideliter recitatam de orthod. fide lib. 3. cap. 7. τὸ μὲν ὅλον, φύσεως ἐστι παραστατικόν: τὸ ὅλος δὲ, ὑποστάσεως: *ac proinde Christus,* ὅλος μὲν ἐστι θεὸς τέλειος: οὐχ ὅλον δὲ θεὸς οὐ γὰρ μόνον θεὸς, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος: *& contra, Totus est homo, sed non totum, id est,* κατὰ τὸ ὅλον, *propter naturam diuinam.*

De particula etiam in ALIO, ἐν ἄλλῳ, *cum aut persona, aut natura intelligi poßit; nos nostrum sensum perspicuè explicauimus: humanitatem Christi vbiq; esse dici posse, non in sese, quasi sua substantia in omnibus existat locis; sed* ἐν ἄλλῳ, *hoc est, in persona* τοῦ λόγου, *in qua etiam suam habet existentiam: idq; dicimus secundum aliam regulam, non Leoni solùm, sed & alijs Patribus omnibus notam: Cuiusq; naturæ proprietates Christo quidem, hoc est, personæ proprias esse: alteri autem naturæ communes, non ita seipsa, sed in persona* τοῦ λόγου. *Quum regulam si vos ita rectè intelligeretis, sicut sæpè vsurpatis, dicendo,* PERSONALITER; *Ecclesiæ Christi forent tranquilliores. Ita enim non possetis concludere, carnem Christi sua substantia, ita esse in pane, sicut est* καθ' ὑπόστασιν τοῦ λόγου, *in cuius vnitatem assumta est, & sicuti est per mysticam sacramentalemq; vnionem.*

Scelerata autem calumnia est, quòd per Septentriones, Ecclesias Saxonicas, quas in Domini Iesu Christi visceribus veneror, me designasse, mentitur. Quid autem hoc rei est? Anne Cynosuræ opponuntur florentißimæ & fortißimæ gentis Saxonicæ Ecclesiæ? Tu verò Iacobe Andrea, sub quouis lapide scorpium quæris: & vt de Aristogitone dixit Demosthenes, limis oculis, scorpionis instar, me aspicis, & caudam vibrando, lædere infeliciter satagis: quando nulla tua auctoritas, nulla fides est apud bonos.

Tandem agnoscit eos mentitos, qui me sæpè ad silentij metum adductum fuisse, falsò gloriati sunt: sed Pasquillico suo testimonio, quo certè in deplorata caussa ei magnopere opus erat,

erat, suffultus, mendacium adspergit, quum historijs fabulisq́ tempus me triuisse, ait. Memini, quum confertim tela in me diu multumq́ sparsa essent, me tandem recitare historiam de beato Athanasio, quem quum blasphemi Ariani obtunderent, dixisse ferunt: Ite ad Iordanem: & videbitis Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Mihi verò, Iacobe Andrea, iucundum est confundi, tuo iudicio, id est, veritatis tuendæ gratia laborantem, contumelijs affici: nam has laudi mihi duco. De non entis efficacitate si qui tumultuabuntur, compescet eos Christus, per sua organa. Ego verò neq; tibi neq; alijs posthac respondere dignabor: nisi aliud se velle Dominus Iesus ostenderit.

De præsentia corporis Christi in pane, quam ex scripto colligi posse putat: de Berengarianæ palinodiæ approbatione: de pronomine (Hoc) quo panem non simplicem, denotatum ait: ita vt solet, garrit temerè. Certè constat eos, qui mecum cõtulerunt, negasse eo designatum panem: quod tum iuniores anteà rectè concesserant. In mysterio panem id esse quod dicitur, videlicet Corpus Christi, non negamus: modò ita intelligatur, quemadmodum volunt hæc Augustini verba: Secundum quendam modum, Sacramentum corporis Christi, Corpus Christi est: Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est. *Epist. 23. Et, vt idem ait,* In mysterijs, non quod sunt attenditur: sed quod significant. Aliud enim in eis videtur, aliud intelligitur.

De calumnijs & conuicijs quibus nostros homines, iurè à parte altera aspersos ait: deq́ mea leuitate, de arrogantia mea: iudicium Deo permitto. Fateor me dignum qui contumelia afficiar, quia peccator sum: sed istud quoq; testor, non ita me affici, cum me potissimum peti video, quàm quum optimè meritos de Ecclesia & Repub. viros, quorum magna pars iam in cœlis est, ab ingratis quibusdam & indoctis hominibus, sic af-

fici contumelia video, vt Christus Iesus ipse, qui illos ad opus suum sanctificauit, præcipua afficiatur contumelia. Mihi verò de religioso silentio cogitanti, placet istud Gregorij 30 moral. Gloriosius est, iniuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare: & si seruus conuicium dicat, iustus taceat: si infirmus iniuriam faciat iustus sufferat: & si pauper criminetur, iustus non respondeat.

De Doctore Patiente & Doctore Kirchnero, hoc tibi Iacobe Andrea, respondeo. Si hi duo plus præstare, quàm cæteri, qui disputarunt mecum, potuerũt, vt tu quidem innuis: & si illis tantopere cordi erat defensio suæ caussæ: quamobrem, ille quidem vel vnico verbo ab illustrißimo Principe eius rei copiam sibi fieri non petiuit, & cur non auctor socijs fuit, vt à prolixis suis sermonibus abstinẽtes, doctiori doctori darent locum: ab illis enim, non à me, exclusus fuit: & cur hic, etiam symmystarum querimonias discessu suo excitauit? Mihi verò, nec Patiẽs cæteris, qui sunt argumentati doctior vnquam visus est: nec Doctor Kirchnerus, planè mihi ignotus est, quando ipso hîc docente & disputante, ita ab eo humaniter inuitatus, de forma Dei & serui cum eodem ante quinquennium contuli, per Christi gratiam, vt ipsum quoque mecum esse collaturum, omninò mihi persuaseram. Certè quum antè inceptam Disputationem Heydelbergam reuersum, quidam mihi nunciarent, lætatus sum: quòd omninò mihi persuaderem, futurum vt mecum conferret humaniter & eruditè: qui tum adhuc Ordinarij Professoris, personam sustinebat. Verum ille maluit differendi lampadem alijs gestandam tradere.

Iam si illi vestri tyrones, tantum negocij mihi & fecerunt & facere poterant, præsertim si omnes fuissent auditi: cur tu quasi caussa periclitante, in harenam prosiluisti? An vt victo-

ria

riæ gloriolam, discipulis ereptam, tibi vendicares? Mendacium autem est, quòd addis illustrißimo Principi admirationi fuisse eum qui primo argumentatus est. Ego tamen dicam quod res est, abs te illum immodestia, & maledicentia longissimè superatum. Et, quid si illi quoque Dominus Iesus oculos mentis aliquando aperiat? Certè nec ipsi, nec alteri admodum est, cur irascatur quispiam: quando & ætas, & prosopolepsiæ fascinum, & alia quædam, ipsis non nihil patrocinantur.

Ea, quæ de examine viginti ab hinc annis me iuuene habito, & de mea inscitia, addis Iacobe Andrea, nemo me magis agnoscit: secundum tamē Christum Dominum donorum quæ penes seruos suos deponere dignatur omnium optimè consciū. Peccaui certè, etiā in meipsum, quòd quum liberalis mea de te fiducia esset, te alloquutus sum semel atq; iterum: ignarus hac in parte futuri. Sed & tu peccauisti, quòd inerudito homini, testimonium doctrinæ conferri voluisti: & quòd donec me tibi συμφωνεῖν & consentire, iudicasti, mihi laudes eas doctrinæ & pietatis tribuisti, quas meo modulo superiores esse, semper iudicaui. Si te, aut alium aliquē pœnitet officiosæ erga me humanitatis: boni consulam, si me iudicabitis vestris elogijs indignum. Fortaßis autem venia aliqua tuo de me errori debetur: quando tum temporis calida adhuc tua iuuentus fuit: & delicata profectò Theologiæ tuæ profeßio, quæ minimum haberet crucis Christi testimonium. Mihi satis est, si Christi discipulus: non inscitiæ, sed ætati olim meæ saltem hoc Augustini dicto patrociner: Melius est nescire, quàm errare. melior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia. Vt tamen de vbiquitate tua, eiusdem Augustini verbis, tibi Iacobe Andrea, dicam quod res est: Ignorans, quæ sciri nequeunt, (inter hæc profectò ementita vbiquitas tua est) culpa vacat. Enimuerò si tanta tum erat mea inscitia,

cur tibi omnium hominum (opinione tamen tua) doctißimo, saltem illud eiusdem Augustini, in mentem non venit: Non omnis ignorans immunis est, sed is solùm, qui non habuit vnde disceret. *Ex tuis autē prælectionibus quas impræmeditatas esse, non tum dißimulabas, quæ tandem præclara discere poteram: quum fontes ipsi siti laborarent?*

Videt autem pius lector, quam astutè sibi caueat Iacobus Andreas à Paradoxis, quæ se audiuisse negat. Si ideò de his portentis sibi negat pronunciandum: qua fronte ausus est & de cæteris tam monachaliter pronunciare, quæ etiam non audiuit? Sorex suo sese prodit indicio.

Quæ de Arianismo addidit Iacobus Andreas, quū demonstratiuè, ac etiam sæpenumerò à me sint refutata, non dignabor Iacobum Andream alio responso quam hoc, cuius nobis testis est Iesus Christus: Confitemur Dominum nostrum Iesum Christum, si Deitatem eius spectes, Deum esse naturà, esse Patri & Spiritui sancto coessentialem, coæternum καὶ ὁμότιμον: si carnem eius consideres, esse semen Abrahæ & Dauidis, & fratribus per omnia similem, peccato excepto.

Ad Dei autem gloriam, & vt pij videant quibus calumnijs pugnet contra nos Iacobus Andreas, stolidum hoc eius Enthymema subiungam.

Grynæus fassus est in Disputatione Heidelbergensi, quasdam prædicationes de Christo, cuius persona duabus naturis cōstat, figuratas esse, ad τρόπον ἀντιδόσεως pertinere, ad proprias tamen reuocari posse.

Ergo & ipse, & quotquot cum eo faciunt, tropicum Christum fingunt. Quam autem bellè mutuum muli scabunt, quū discipuli vocem insulsißimam, magister noster, ita probat? Sed in eo publicæ discipuli confeßioni, magister refragatur, quum negat ab illo concessam metonymiam in propositione: Petra erat Christus: magister autem secum ipse quoq; pugnat,

quum

quum metaphoram agnoſcens, metonymiam negans, propriū tamen prædicandi modum fingit. Fœdè etiam ſibi contradicit, quum eam locutionem ſacramentalem, in qua diſparatū, videlicet panis, de diſparato videlicet de corpore Chriſti prædicatur, agnoſcit; metonymicam eſſe negat.

Notorium autem mendacium eſt, & Caluinum piæ memoriæ vnquam à noſtris alienum fuiſſe, poſteaquam fidei ſuæ teſtes libros edidit: & Reſpub. Helueticas, Geneuenſes in ſuam tutelam, Et ante collegium Haganoenſe, ea lege vnquam ſuſcepiſſe, ſi Miniſtris de religione poßit conuenire. Ac profectò hoc mendacium Iacobandricum admirationi noſtris hominibus eſſe poſſet, ſi vera ab eo homine dici, perſuaſum hactenus habuiſſent. Suo vſus eſt D. Caluinus dicendi genere, quod cum imperiti quidam ſecus quàm oportuit, interpretarentur, & ſcripta de conſenſu à Theologis compoſita & publicata ſunt. Nihil autem hæc ad politica illa.

Quæ de Arianis poſtea aſperſit Iacobus Andreas, non magis ad noſtras Eccleſias & earum Confeßionem pertinent: quam ea quæ Iudas Iſcariotes admiſit, ad Collegium Apoſtolicum, pertinent. Nouit autem Iacobus Andreas, & Gribaldum apud Tubingenſes vixiſſe, quem ipſe faſſus eſt, Brentio cōtradixiſſe coram illuſtriſ. Principe, de ijſdem capitibus. Non autē Iacobus Andreas is eſt, nec vnquam erit, vt eius ſit noſtris Magiſtratib. præſcribere, quomodo cum hæreticis ſit agendū. Ipſius autem & ſociorum maiórne erga noſtros inhumanitas fuerit, an verò noſtrorum erga illos, res ipſa loquitur. De eluenda Arianiſmi macula, quam nemo niſi conſceleratißimè mendax, noſtris Eccleſiis, aſpergere auſus eſt, non eſt, quare nobis rationem aſſerendæ innocentiæ noſtræ indicet. Nemo enim noſtrûm eſt, qui non dicere poßit: Conſcia mens recti famæ mendacia ridet.

Quæ de vipereis meis morſibus idem ſubiunxit, ſuſcepto

alterius patrocinio, ideo nō attingam, vt illius hominis (qui si potuisset, nihil non ad contumeliā meam dixisset licet ipse non minus fuerim erga ipsum officiosus, quàm Tubingenses erga me & alios) honori consulam. Malo me malè tractari, quàm alterius miseriam retegere. Et tacuisset Iacobus Andreas, si me quædam nosse sciret.

Præceptoribus honorem deferre paratus sum: iuramenti quo sum ad veritatis, non ad vbiquitatis professionem adstrictus, semper & memor & amans fui & ero, doctoris testimonium vt non sperno, ita nec aliter quàm piè docendo & viuendo tueri studio. non dubito autem istam Iacobe Andrea exprobrationem, viros sapientes, eo habituros loco quo oportet. De posterioribus meis curis, pronunciabunt ijdem. Ego sanè, donec ex parte cognoscere, ex parte nos prophetare videro, progrediendum nobis in Christi mysterio, & proficiendum iudicabo: ac valde delector in his ærumnis, illo nobili dicto Gregorij: Nemo quantum proficit, nisi inter aduersa cognoscit.

Vitio mihi vertit Iacobus Andreas, etiam exhortationem ad studium veritatis & pacis, quam ad iuuentutem institui: & me cum multis præstantibus viris ad Christi tribunal, imperiose reuocat. At ego lætor hoc iudice caussam nostram dijudicandam, cuius tribunal ne tu quidem Iacobe Andrea declinare poteris: Omnes enim sistemur apud tribunal Christi. Ro. 14. 10. Cætera quæ addere tibi placuit, tibi quoq; relinquam: Deum interim orans, vt nos qui credimus D. Iesum in carnē venisse, vnum in Christo Iesu Filio suo in æternum esse velit. Gratias autem illi ago, quòd (vt me infirmitatis & peccatorum meorum caussa paternæ suæ ferulæ subijceret, non multò post exhilarandum & vindicandum ab opprobrio) contumelijs tantis me prius voluit affici: vnà cum multis alijs pijs hominibus. Tibi etiam Iacobe Andrea, ignosco: ac Deum precor,

vt ne tibi statuat hoc peccatum, quòd tot Dei seruis horribiliter diuq́ maledixisti, vt venundatus ad maledicendum videaris: & vt tibi det spiritum resipiscentiæ, mansuetudinis & veritatis.

Iam tu quoque, candide & Christiane Lector, mihi conueniendus & rogandus es, vt mihi sicubi videor dolori indulsisse nimium, & asperioribus vocibus vsus, ignoscas pro tua humanitate. Multis annis atroces iniurias quorundam hominũ tuli: sed quòd publicis scriptis non agerent, boni mihi omnia consulenda duxi. Quia verò Iacobus Andreas, eiusmodi scriptis (Basiliẽsi Academia ne id fieret, hortante) me adortus est, qualia nec ab illo nec ab alijs multis, longo iam tempore non sunt edita, & caussæ inprimis & honoris & innocentiæ meæ defensio mihi fuit suscipiẽda. Quum autẽ vtriusq́ rationem iam habuerim, Deum inposterum orabo, vt à cõtentione linguarum, & styli, me & alios suos seruos liberet: & vt mihi det piè tum docere tũ viuere, tum etiã pro Ecclesiæ pace vota facere. Placet enim mihi illud Valeriani Episcopi: Sicut nihil est deformius, quã respõdere furiosis: ita nihil vtilius, quã tacere prouocatis: nullus est finis inimicitijs, nisi ad tẽpus obtemperemus iratis. *Sic tamen obtemperabo illis, vt interim alienus maneam ab errore. Si qui in posterum quoque tumultuabuntur, non patiar neutiquam necessarijs certaminibus docendi labores, quibus defungor, interturbari.*

Vtinam nunquam tristitia afficiamus spiritum illum sanctum Dei, per quem obsignati sumus in diem redemtionis.

Vtinam omnis amaritudo & excandescentia, et ira & clamor, & maledicentia, tollatur ex nobis, cum omni malitia.

Vtinam simus alij in alios benigni, misericordes, condonantes nobis inuicem: sicut & Deus in Christo condonauit nobis. Ephes. 4.30.31.32.

Gratia Dei Patris, & plenitudo benedictionis Iesu Christi

Serua-

ſeruatoris noſtri, ſit cum omnibus ſanctis, qui eum in ſpiritu & veritate adorant: & Pax fratribus, Amen. Scripſi Heydelbergæ die 30, Septemb. quæ anno Aeræ Chriſtianæ 422, emortualis beati Hieronymi fuit.

Ἀδήλου.

ἀπολεβουλεύσαιμι φίλῳ κακὸν, αὐτὸς ἔχοιμι:
εἰ δέτε κεῖνος ἐμοὶ, τοῦτο μέμηλε θεῷ



Correctio quarundam mendarum.

Pagina. 5. lin. 4. cuiuſquam. 7. neutiquam. pag. 6. lin. 4. ſimpliciterq́ʒ. pag. 8. li. 28. aſſueueram pag. 9. li. 15. gratius. 17. neutiquam pag. 14. li. 29. de calumnioſo. pa. 19. li 32. Credo. pag. 21. li. 15. dele oportet, ſcribe debeo. p. 22. l. 18. promereretur. pa. 23. li. 15. Vel exiſtis. 19 indicandum. p. 24. l. 16. Matæologia p. 31. li. 15. & pro Vt. pag. 33. lin. 16. minimum pro nimium. p. 34. l. 31. debeat p. 36. li. 7. ocij nõ officij. p. 41. l. 1. pro cõperi intellexi. pa 41. l. 7. Curas. p 58. l. 14. dele pro. p. 62. l. 10. credimus p. 71. l. 27. æquè maledicum, pro maledictiorem. l 31. futurum Vt. p. 72. l. 1 pro iudicaturos, iudicent l. 2. retineant. p. 73. l. 13. cõiuicijs nõ coniunctis. pag. 74. l. 32. ait, non aut. pag. 75. li 5. Quid, nõ quod. l 8. alia ſcripta. l. 9. Teſtantur idipſum p. 77. l. 14 inueni olim. pa. 83. l. 9. non ſuo loco ſunt poſitæ hæc Verba. Et ante colloquium Haganoenſe. li. 14. dele, &. pag. 84. lin. 11. ſtudebo.



